Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Praecipuae recentiorum de compositione Odysseae sententiae expositae et diiudicatae

https://hdl.handle.net/1874/233813

A. 4°. 192.
1 Juni 1871.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

J. M. FRAENKEL.

A. qu.
192

1 Juni 1894

PRAECIPUAE RECENTIORUM

DE COMPOSITIONE ODYSSEAE SENTENTIAE

EXPOSITAE ET DIIUDICATAE.

XVI, 21. A. 4°. 192 · 1 Juni 1894

PRAECIPUAE RECENTIORUM

DE COMPOSITIONE ODYSSEAE SENTENTIAE

EXPOSITAE ET DIIUDICATAE.

Specimen inaugurale litterarium

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

M. S. POLS,
Rom. et hodierni iur. doct. in fac. iur. prof.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS

PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINIS HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI PROPONET

JACOBUS MAURITIUS FRAENKEL
ULTRAIECTINUS.

Die I Mensis Junii Anno MDCCCXCIV

Hora IV dimidiata.

UNIVERSITEITS BIBLIOTHEEK UTRECHT

ULTRAIECTI
Apud S. FRAENKEL
MDCCCXCIV.

Parentibus optimis carissimis.

Quotiens hisce peracti curriculi Academici temporibus praeceptorum seriem mente recolo, Tua mihi, illustrissime van HERWERDEN, promotor aestimatissime, ante omnes imago obversatur animo. Nam postquam egregia Gymnasii huius urbis institutione praeparatus ad Te accessi, iuvenem exstimulasti admirantem Tuae doctrinae copiam, incendisti flagranti, quo ardes, amore litterarum, devinxisti perpetuis Tuis gravissimisque benevolentiae testimoniis. Qua de causa cum gratum meum testificandum puto animum, tum magis etiam optantem ut in maximis Tuis occupationibus pergas consiliis et praeceptis me adiuvare. Tibi enim scio post ipsas litteras promovendas nihil iucundius esse quam discipulos Tui ingenii quam maxime aemulos efficere; mihi autem nihil potest contingere optatius quam ut Tuo, talis viri, praesidio confirmatus enitar in σοφίην, cuius Tu ἐπ' ἄκροισι θοάζεις.

Dies aliquot praeterlapsi sunt ex quo Tuae, clarissime FRANCKEN! qui nunc es rude donatus, institutionis particeps fui nec tamen unquam comitatis Tuae humanitatisque memoria ex animo meo evanuit. Quodsi quid gratae vota mentis possunt, diu fruaris otio bene merito discipulorum amore florens.

Te clarissime WYNNE, qui item muneris Tui occupationibus levatus es, et doctissimum praeceptorem et patronum benevolentissimum expertus sum. Quotiens placidis Tuis sapientiaeque plenis colloquiis animum meum confirmaveris, quanta Tuae bonitatis testimonia mihi dederis, meminisse quam memorare malo; id dico, nunquam Tuum limen me esse

transgressum, quin Tua consuetudine corroboratum me senserim; quod grato semper animo me custoditurum spondeo.

Tibi quoque, clarissime GALLÉE! multum debeo, quod, ab initio inde Tuis consiliis studiorum mihi viam monstrasti, quod monstrata via non parvo labore gressus meos direxisti; sed maximum illud quod me, in studia orientalia a Te inductum, commendare voluisti praestanti viro HENRICO KERN.

Huius vero excelsae sapientiae plus me debere sentio quam vel hac occasione pronuntiare aut modestia mea sinit aut magni viri reverentia. Summa tum me consecutum putabo, siquando KERNII discipulum me fuisse meis apparuerit factis. Quem omnes amamus non minus quam reveremur, eum ardentibus prosequimur votis ut diu incolumis servetur litteris, patriae, discipulis.

Vobis omnibus, amici carissimi, longo plerisque iam spatio remotis, hunc libellum laetus mitto; quo accepto spero fore ut nonnumquam memineritis militae tot consulibus una actae. Valete.

PRAECIPUAE RECENTIORUM DE COMPOSITIONE ODYSSEAE OPINIONES EXPOSITAE ET DIIUDICATAE.

Cum ab initio inde studiorum mihi quoque ut multis τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων mentem aluerint, dissertationis scribendae munere functurus statueram in eodem argumento elaborare; non quod fructus studiorum uberiores vires meae, materiae difficillimae impares, expectare sinerent, sed quia studia ipsa in Homericis carminibus collocata utilia mihi fore intellegebam. Itaque ad quaestionem de compositione Odysseae me contuli, in qua maxime recentiores viros doctos occupatos videbam. Quorum libris diligenter perlectis nihil amplius mihi proposui nisi cognitis eorum sententiis explorare ét quid singulae huic quaestioni diiudicandae profuissent ét quatenus inter se coniungi possent. Sed in magna copia scriptorum et utilitas et tempus me admonuit, ut non omnes tractarem et certum quendam mihi ipse terminum ponerem. Itaque scripturus sum de eorum sententiis qui praecipui inde a Kirchhoffio usque ad Seeckium de compositione Odysseae scripserunt.

Disputationem suam de prooemio Odysseae deque vitiis quae Telemachiae carmine cum antiquiore Ulixis redeuntis narratione iungendo poeta committere debuit — quam non omni ex parte refellere potuit vir doctiss. Lehrs in libro suo de Aristarchi studiis Homericis[2] pg. 419 sqq. — hisce verbis J. Bekker conclusit: 1)

„Es stünde schlimm um Griechischen Geist und Ruhm, wenn wahr wäre was noch die Prolegomena [Wolfii scilicet]

1) Hom. Blätter I p. 107.

predigen pg. CXVIII „„Odysseae admirabilis summa et compages pro praeclarissimo monumento Graeci ingenii habenda est."" Haec verba a° 1841 Bekker pronuntiavit nec aut antea aut post defuerunt, ut Koës Thiersch Rhode Volkmann Heerklotz Jacobs Hennings alii, qui suis scriptis vel per totam Odysseam deficientia investigarent vel Lachmannum imitati hac quoque ex poesi singula carmina tanquam ex ruderibus aedificii antiquas partes efficere conarentur. At contra alii Odysseam laudaverunt ut praeclarissimum carminis epici exemplum, in quo ipsa epicae compositionis natura appareret; ita ut Odyssea allata uterentur ad refellendas Lachmanni de Iliade observationes. Sic Friedlaender scribit: 1)

„Wäre uns die Odyssee allein erhalten, die Frage nach ihrer Einheit wäre vielleicht nie aufgeworfen worden. Denn eine durchdachte Composition, eine Concentration des Interesses auf einen Hauptheldeu, der gegenwärtig und abwesend der Mittelpunkt der Handlung bildet, dem alle Ereignisse und Personen des Gedichts subordinirt sind, auf dem sich alle beziehen — diese Eigenschaften können auch von dem oberflächlichen Leser 2) der Odyssee nicht übersehen werden."

Ad diiudicandum autem utrum plus credendum sit his laudantibus an illis vituperantibus, utile videtur quam brevissima enarratione Odysseae argumentum exponere; in qua simul ea quae mihi ut ceteris in structura carminis incongrua visa sunt, diductis litteris notabo. 3)

Minerva auctore Telemachus ut de patris sui reditu certior fiat, ad Nestorem et Menelaum proficiscitur; Nestor nihil de Ulixe referens nisi quod a Phemio quoque Telemachus accipere potuerat, *consilium ei dat* ut adeat Menelaum, itineris comitem nactus filium ipsius Pisistratum. Nec tamen magis ei Menelaus, postquam adiuvante Helena praeclara quaedam Ulixis facinora

1) In libro: „die Hom. Kritik von Wolf bis Grote" pg. 23.

2) Bene fecit Friedl., quod haec verba addidit.

3) Rationes quibus adductus haesi in locis sic notatis, partim ut saepe ab aliis indicatas omittendas putavi; partim in ipsa dissertatione indicabo.

memoravit, de reliquis illius casibus satisfacit; quippe id tantum commemorat *quod narationi ceteroquin per se absolutae de Proteo tamquam clausulam affingere potest.* Ceterum muneribus promissis Telemachum apud se retinere studet, cum ille affirmat *se continuo Ithacam rediturum.* Proci matris eius Penelopes, quorum principes Antinous et Eurymachus, de itinere Telemachi certiores facti navem in insidiis collocant inter Ithacam Samumque. Quorum consilia simul cum itinere Telemachi Medon praeco communicat cum Penelopa, quae maximo hinc dolore affecta, reprehensis ob neglegentiam ancillis suis, Laertae seni periculum nepotis nuntiari iubet *per Dolium servom suum quem olim a patre acceperit.* De Laerte excitando dissuadens Euryclia nutrix ei suadet ut Minervae preces pro salute filii concipiat. Dum proci navem solvunt, Penelope in luctu perseverans a Minerva consopitur; quo facto dea per sororis simulacrum (εἴδωλον) in somno missum eam consolatur. Eadem cum in priore deorum concilio Ulixis, apud Calypso nympham versantis, reditum impetrasset et de Telemacho dimittendo docuisset, posteriore concilio de absentia Ulixis et Telemachi periculis eandem tamquam novam querelam profert. Cui ut satisfaciat Jupiter Mercurium mittit ad Calypso, quam iubeat Ulixem a se dimittere; ita ut rate proficiscatur, *non in patriam sed ad Phaeaces*, qui eum Ithacam incolumem reducant; sic enim fata iubere. Mercurius mandata peragens apud Calypso, tacet de ceteris Iovis oraculis, ratis mentionem nullam facit. Quo profecto Ulixi imperat Calypso *ut ratem construat qua volentibus deis incolumis in patriam naviget.* 1) Metuentem et sollicitum iure iurando de fide sua confirmat; deinde tamen eundem paratum iam ad profectionem conatur apud se retinere terrore calamitatum, quae ei in itinere *antequam domum perveniat* impendeant. 2) Rate constructa quinto die

1) ε 168 sq. ὥς κε μάλ' ἀσκηθὴς σὴν πατρίδα γαῖαν ἵκηαι, αἴ κε θεοὶ ἐθέλωσι.

2) ibid 206. εἴ γε μὲν εἰδείης σῇσιν φρεσίν, ὅσσα τοι αἶσα κήδε' ἀναπλῆσαι πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι ....

Ulixes proficiscitur et postquam dies noctesque XVII vigilans navigavit, decimo octavo Scheriam conspicit. Sed Neptunus, quo apud Aethiopes morante in deorum concilio Ulixis reditus impetratus erat, cum revertens suum inimicum conspicaretur, tempestatem movet; laboranti heroi Leucothea succurrens suadet ut κρηδέμνῳ ab ipsa sibi dato se cingat et nando Scheriam petat. Cuius tamen ille consilio satius putat non protinus obtemperare. Tandem vero elisa rate utitur deae munere, quo sustentus nando salutem quaerat. Sed postquam in vitae adductum discrimen Neptunus reliquit, *Minerva mari sedato* Ulixem post duos dies per scopulos periculi plenos in terram perlatum somno mergit. Expergiscitur clamoribus sublatis a Nausicaae, regis Phaeacum filiae, ancillis, *nec scit ubi terrarum sit* A Nausicaa, egregia viri forma commota, benigne excipitur; quae *oratione prolixa urbem Phaeacum describens* ei suadet, ut in luco Minervae expectet donec ipsa cum ancillis domum venerit; tum urbem ingressus Alcinoi, patris sui, domum petat inter omnes conspicuam; matrem Areten imprimis sibi conciliet qua favente a Phaeacibus reducatur in patriam. Regressa Nausicaa Ulixes in luco Minervae sole occidente deae supplicat, *quae tamen Neptuni verita iram nondum precanti se offert. Urbem autem ingresso nebulam circumdat, ne a Phaeacibus inhospitalibus laedatur; mox vero sub specie virginis oblata* ad Alcinoi eum ducit aedes monetque ne quem Phaeacum alloquatur, *quos hospitibus dicit non favere, eadem narrans de iis quae antea Nausicaa.* Monstratis autem aedibus Minerva postquam de genere Alcinoi et Aretes uxoris, *quam imprimis sua supplicatione adeat*, Ulixem edocuit, abit Marathonem versus et Athenas. Paullulum in hortis Alcinoi moratus ille domum intrat exutusque nebula ante pedes Aretes se proicit; in fidem recipitur, cibo adiuvatur. Postquam reliqui convivae Iovi hospitali libaverunt. Alcinous cras se pluribus cum proceribus hospiti honorem habiturum deque parando eius in patriam reditu deliberaturum dicit; nisi si forte e deorum numero sit hospes. Quod cum

negasset Ulixes, postquam *libatione facta* 1) abierunt convivae, relinquitur cum Alcinoo et Arete, quae, donatas ei a Nausicaa vestes agnoscens interrogat quis sit et unde has vestes habeat. *De omnibus suis laboribus loqui recusans* Ulixes narrat ut VII annos apud Calypsum fuerit utque rate per mare navigaverit, qua discussa Neptuni iram nando effugerit; *silet de Leucothea.* Sibi nacto salutem in terra Phaeacum altero die Nausicaam vestes dedisse; *quam volentem ad patris domum se deducere ipse retinuerit.* His Alcinous auditis dicit Ulixem generum sibi gratum acceptumque fore, si ita animus ferat: sin minus, *cras reditum se eius procuraturum*, ita ut nocte per somnum celeriter patriam repetat. Postero die Minerva vocatis ad contionem Phaeacibus *Ulixem pulcriorem reddit* (ut in libro ζ 229 sqq.). Post contionem cum epulae celebrantur, Demodocus vates carmen canens de controversia inter Achillem et Ulixem identidem Ulixi lacrimas movet. Hoc animadverso Alcinous ipsum cum ceteris ad forum ducit ut spectent Phaeacum certamina; quibus certaminibus cum adulescentis cuiusdam convitia ipsum Ulixem quantumvis invitum interesse adegissent, suam ille praestantiam ostendit *auxiliante Minerva;* gloriatur cum aliis artibus tum praesertim arcus peritia, qua uni se Philoctetae cedere dicit. Secuntur saltatio iuvenum, Demodoci carmen de Veneris Martisque amoribus. Phaeacum magnopere elegantiam admiranti Ulixi munera promittuntur et afferuntur sole occidente (ϑ 417). Quae ille *ne quis rapiat in itinere* diligenter in arca recondit; lavatur deinde et *Nausicaae valedicit.* In sequenti cena Ulixes Demodocum rogat ut, *quoniam de interitu Graecorum tam pulcre cecinerit*, nunciam de equo Troiano memoret. *Cantu vatis lacrimae eius moventur;* quapropter Alcinous Demodocum desinere iubens, hospitem rogat coram Phaeacibus ipsius nomen et patriae ut in hanc reducatur navibus Phaeacum, quae prodigiosa itinera faciant semperque incolumes redeant. Quamquam Nausithoum patrem dicere se

1) η 228 = η 184 *αὐτὰρ ἐπεὶ σπείσάν τε πίον θ' ὅσον ἤθελε θυμός . . .*

meminisse fore ut aliquando, ira Neptuni in Phaeaces exitata, navis rediens in saxum mutetur ipsique monte opposito a mari arceantur. Roganti deinde Alcinoo de erroribus suis et quare lacrimetur audito de interitu Troiae carmine, respondet hospes se Ulixem esse Ithacensem, Iovis nutu per maria errantem dum ab Ilio patriam repeteret. Tum ordine exponit de Ciconibus Lotophagisque et de Cyclope *Neptuni filio impio;* quem excaecatum a se, postquam socios aliquot suos interfecisset, nomine suo ab ipso dum fugiens ei insultet audito, patri Neptuno supplicasse ut ipsi adimeret reditum, si per fata liceret; sin fata obstarent, at ut sero male amissis sociis ipse redux inveniret domum calamitatibus turbatam. Huius preces Neptunum exaudisse *Iovemque sociis et navibus omnibus perniciem molitum esse.* Pergit narrare de Aeolo et de Laestrygonibus quos una sua navis effugerit. Inde Aeaeam in insulam apud Circen, *Solis filiam Aeëtae sororem*, se venisse seque apud eam annum totum mansisse, *donec sociis admonentibus* missionem a Circe oraverit, quae ad Orcum prius proficisci se iusserit ut Tiresiae animam consuleret de reditu. In ipsa autem profectione *Elpenore ex sociis cervicibus fractis mortuo* reliquos secum magno metu navem ascendisse. Cum advenissent, monitis Circes perfunctus sacrificioque placandis manibus ad portas inferorum peracto, *animas se advenientes arcuisse a sanguine sacrificii bibendo donec Tiresiam rogasset. Primum Elpenorem se obtulisse sepulturam quaerentem;* matrem deinde Ulixis Anticliam; quam tamen a sanguine bibendo prohibuerit. Hanc secutum Tiresiam sanguine poto de reditu vaticinatum esse; memorantem enim iram Neptuni admonentemque vitandam esse Thrinaciam insulam et boves Solis praedixisse ipsi domum reverso procos Penelopes occidendos esse; *qua re confecta novo itinere placari oportere iram Neptuni.* Roganti sibi quo modo efficere posset ut animae ipsum agnoscerent, respondisse eis sanguinem sacrificii impertiendum esse. Regresso Tiresia *supervenisse Anticliam*, quae sanguine poto se agnoverit et interrogata rettulerit Penelopem

in fide permanere, *Telemachum adultum patris bonis frui*, Laertem filii luctu marcescere, se autem desiderio ipsius mortem oppetisse Conantem frustra amplecti eam monuisse *ut statim rediret et quae vidisset uxori traderet.* Postquam illa recessisset, supervenisse priorem heroum matres filiasque; — quae res ad Odysseae fabulam nihil pertinet.

Hucusque progressa narratio interrumpitur cum adesse videatur tempus dormiendi; sed rogante Alcinoo numquos ex sociis qui Troiano bello interfuerint viderit apud inferos, Ulixes pergens primum in conspectum venisse narrat Agamemnonem; *qui continuo ipso agnito* 1) sibi tradiderit suam Cassandraeque mortem, Clytaemestramque culpatus monuerit *ut ne Penelopae quidem ipse confideret*, quam tamen non laudare non potuerit prae sua uxore. Ceterum *iterata de perfidia mulierum admonitione* illum ipsi suasisse *ut clam domum rediret.* Regresso illo secutos esse sermones cum Achille et Aiace, *habitos in ipso Orco;* 2) ubi Minoem quoque, Orionem, Tityum, alios se conspexisse. Postremo metuentem se animarum concursum nave regressum Aeaeam, *in extremo orienti sitam.* Corpus Elpenoris ex Circes domo allatum cum sepeliiset, Circen, *quam non latuerit ex Orco redux*, obviam factam ut de reditu doceret, monuisse de Sirenis, *de obeundis Planctis* aut inter Scyllam et Charybdim periclitando. Charybdis ex voragine cum *ne Neptunum quidem* servare ipsum posse pronuntiasset, *postremo de insula Thrinacia solisque bobus idem quod Tiresias dixisset addidisse.* Postridie se profectum occurrisse Sirenis, Scyllae et Charybdi; deinde procul visa Thrinacia, Tiresiae Circesque monita recordatum a sociis ius iurandum exegisse ne laederent boves in insula. Socios se invito in terram egressos et tempestate per noctem afflictos *mane se*

---

1) λ 390. ἔγνω δ' αἶψ' ἐμὲ κεῖνος, ἐπεὶ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν. Sic enim cum cod. Vind. 133 aliisque legendum pro: ἐπεὶ πίεν αἷμα κελαινόν, quam lectionem ignorat Schol. H ad λ 391 cf. λ 615 = λ 390 et λ 471: ἔγνω δὲ ψυχή με ποδώκεος Αἰακίδαο.

2) λ 539 κατ' ἀσφόδελον λειμῶνα.

admonuisse ne boves Solis laederent. Cum mensem totum contrario vento retinerentur, summa cibi penuria facta, remedium se precatum a diis obdormivisse procul a sociis. Tum hos ab Eurylocho permotos quosdam de bobus Solis sacrificasse, cuius sacrificii odorem cum experrectus excepisset, se cum diis conquestum esse. — *Iniuriae nuntio accepto Solem a Iove ultionem petivisse; quam ille promiserit; sic enim sibi a Calypso narratum esse.* Sero se ad socios reversum vidisse imminentis calamitatis prodigia. Cum post dies VI *tempestate sedata* navem secum conscendissent comites, in mari Iovis fulmine fracto navigio omnes submersos perisse praeter se unum, qui malo cum carina iuncta insidens, austro iterum per Charybdin abductus, postremo Ogygiam delatus, a Calypso benigne acceptus sit. Inde quae acciderint iam hesterno se die explicuisse.

Narratio concluditur quae omnibus convivis movit admirationem; donis auctis *postridie* vesperi Ulixes, Phaeacibus fausta precatus sibique *ut domi uxorem incolumem inveniat* 1) navem conscendit; itinere perfecto dormiens a nautis in Ithacam exponitur suis cum muneribus; quo facto illi domum redeunt. Sed Neptunus cum Iove Phaeacum in comitando Ulixe contumaciam questus, hoc auctore navem eorum redeuntem in conspectu Scheriae in saxum vertit; cuius irae leniendae causa Alcinous, *patris vaticinium recordatus*, sacrificium apparat. Ulixes autem experrectus post diuturnam absentiam patriam suam non agnoscit; *nam ipsi Minerva nebulam circumdederat ut agnosci non posset.* Quidni potius apud Phaeaces manserit moestus quaerit; *a Phaeacibus se deceptum expostulat.* Mox Minervam pastoris specie obviam sibi factam interrogat, e Creta profugum se professus. Calliditate eius laudata Minerva, confessa deam, dicit se, quae semper ei praesto fuerit, nunc venisse ut consilia cum eo conferat de futuris iniuriis fortiter tolerandis. Rogat Ulixes cur numquam antea eam viderit; an sit re vera Ithaca terra in quam pervenerit. Illa eum laudat

---

1) ν 42 sq. ἀμίμονα δ' οἶκοι ἄκοιτιν Νοστήσας εὕροιμι

quod ante omnia uxoris fidem explorare in animo habeat; dicit reverentia Neptuni hucusque se impeditam quominus coram se ei ostenderet. Tum remota nebula Ithacae situm viro explicat Donis Phaeacum in antro repositis, ambo considunt ut communi consilio procis struant perniciem. Hos per annos III domi suae Penelopem donis temptantes, *vanis ab illa illectos promissis,* Ulixi interficiendos esse dicit Minerva; cui hic gratias agit *quod eius monitu Agamemnonis fatum effugerit;* rogat ut consilio auxilioque sese adiuvet Quae pollicita dea docet se eum in senem mendicum transfiguraturam esse; quo facto ut omnibus ignotus primum apud subulcum Eumaeum moretur, admonet, dum ipsa Sparta filium arcessit. Tandem postquam de periculo filii sollicitum confirmavit, Ulixem transfiguratum relinquit. — Ulixes ab Eumaeo benigne exceptus hospitio de procorum facinoribus docetur; sed quamvis iure iurando affirmat se scire proxime rediturum esse Ulixem, nullam ei fidem habet subulcus; cui roganti suos sibi aperire casus respondet se Castoris filium Cretensem esse, *magnae in bello gloriae* virum, quem postquam ad Troiam pugnaverit et in Aegypto Phoeniciaque fuerit, inde post multa pericula in Thesprotiam venisse ubi de reditu Ulixis audiverit. Miseratur hominem Eumaeus, sed quae de Ulixis reditu asseveret non credit. Mox servis huius pastoribus ab opere regressis cena sumitur iturque cubitum, postquam narranda fabula lepide ficta hospes (frigida enim nox erat) calidam laenam consecutus est. Interea Minerva, Spartam profecta, noctu Telemachum insomnem iuxta Pisistratum domi Menelai cubantum hortatur ut mane in patriam reversus rebus suis prospiciat *adversus instantes Penelopes et Eurymachi nuptias;* procorumque vitans insidias *procul ab insulis navigando,* Ithacam redux devertatur *per noctem* apud subulcum, per quem Penelopem de reditu suo faciat certiorem. Minerva ubi abiit, Telemachus Pisistratum *pede perculsum* ex somno excitat. Hospitis autem consilium Menelaus multis sententiis prolatis probans dum prandium apparatur, *dona antea promisssa iterum offerens,* Telemacho donat poculum, *Megapenthes*

craterem, Helena pallium Post prandium abituros Menelaus iubet suo nomine Nestori salutem dicere, quod se facturum promittit Telemachus *ita dei dent ut patrem suum domi reperiat.* Haec verba sequitur omen, quod Helena ad Ulixis reditum spectare ostendit. Inde Telemachus cum Pisistrato profectus nocte devertitur Pheris apud Dioclem, *a quo iterum munera accipit* (ο 188 = γ 490). Pylo appropinquans Telemachus *propter festinationem non adito Nestore* Pisistrato valedicit; sociosque suos se expectantes iubet celeriter naves conscendere. Sacrificanti in litore applicat se Theoclymenus vates, Melampodis pronepos, adversarios suos fugiens; quo benevole suscepto iter aggrediuntur. *Occidente sole Telemachus cursum navis e regione insularum dirigit.* Interea apud Eumaeum hospes suum ostendit consilium cras in urbem proficiscendi; dicit procis se apparitoris praestaturum officia, qua re a nullo superetur. 1) Hoc ei dissuadet Eumaeus auxiliumque Telemachi spondet; rogantem docet de statu familiae Ulixis: Laertem senio afflictum, *matrem Ulixis misero mortis genere absumptam* esse; postremo suae ipsius vitae narrationem adiungit. Haec dum aguntur Telemachus incolumis Ithacam pervenit, navem ad urbem mittit, *vesperi se ibi adfuturum affirmat.* Theoclymeno roganti an apud Penelopen devertatur proponit ut Eurymacho se applicet, cum is Penelopen ducturus sit uxorem, nisi si antea Iupiter eum perdat. *Quod haec verba sequitur omen* a Theoclymeno explicatur; quo facto eum amico suo Piraeo Telemachus commendat; ipse ad subulcum pergit. Qui summo eum excipiens gaudio, quem nunquam Pylo rediturum esse putaverat, addit *eum raro rus venire, procorum urbisque usu magis, ut videtur, gaudentem.* Roganti Telemacho quis sit quem videt hospes, respondet Eumaeus eum Cretensem esse e Thesprotia Ithacam delatum; commendat eum Telemacho qui procorum

---

1) ο 321. δρηστοσύνῃ οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειεν βροτὸς ἄλλος. Quod nimis videtur pugnare cum iis quae antea de se dixit: ξ 222 seq. ἔργον δέ μοι οὐ φίλον ἔσκεν cett.

petulantiam veritum se negat domi suae eum excipere posse. De quibus consultus ab hospite, suam infirmitatem excusat: se enim Ulixis filium unicum (*singulis enim liberis semper insignem fuisse Arcesii stirpem*) imparem esse tot inimicis. Inde Eumaeum ad matrem mittit, huic uni relaturum reditum suum, *de quo illa porro Laertem certiorem faciat.* Profecto Eumaeo hospiti a Minerva sua forma restituitur; qua agnitus a filio de caede procorum cum eo consulit. Docet Ulixes filium suum quamvis magnum numerum procorum (filius CVIII numerat) metuere ipsos non debere, fretos auxilio Iovis et Minervae. Itaque cras ab Eumaeo se conductum sub mendici specie versaturum inter procos, quorum Telemachus fortiter petulantiam ferat, verbo tenus eos reprimens. Certo quodam temporis momento signo ab ipso dato arma ex conclavi abscondat, relictis gladiis hastis scutis duobus, quibus subito impetu procos obruant. Ceterum caveat ne cuiquam enuntiet se redisse; prius enim clam explorare servorum et ancillarum animos se cupere. De servis autem temptandis dissuadet filius. Interea navis Telemachi e Pylo in portum Ithacae urbis advenit; qua ex nave nuntius *ita ut Telemachus iusserat* ad Penelopem missus occurrit Eumaeo idem mandatum peracturo (π 333 sq.). *Hic clam, ille palam* de reditu Telemachi significant. Qua re audita proci animo despondentes cum iis qui ex insidiis redierunt in foro concilium agunt. In quo Antinous de insidiis frustratis referens proponit Telemachum in agris versantem occidere; post quem Amphinomus, Penelopae propter mansuetudinem gratissimus, Iovis voluntatem explorandam esse censet; quo consilio probato proci domum Ulixis abeunt. *Ad eos descendit Penelope* a praecone Medonte de filii periculo certior facta; quae cum Antinoum imprimis obiurget ut Telemacho insidiantem, respondet dissimulando *Eurymachus;* deinde Penelope redit, *cui Minerva somnum affert.* Vesperi Eumaeus domum regressus Ulixem denuo transfiguratum offendit et Telemacho de insidiis procorum frustratis refert, qui subridens patrem intuetur. Postridie mane

Telemachus Eumaeo hospitem in urbem ducendum mandat; ipse domum regressus ab Euryclia reliquisque ancillis accipitur; matrem de itinere rogantem removet, continuo in forum iturus ad recipiendum Theoclymenum. Considenti ibi iuxta Mentorem Halithersem *Antiphum* 1) offert se Piraeus cum Theoclymeno, quem secum domum ducit Telemachus. Excipiuntur a Penelope, cui roganti Telemachus *narratione neglegenter conglutinata* iter suum tradit; adiungit Theoclymenus *augurio se Ulixis in Ithaca praesentiam cognitam habere.* Procis deinde ad cenam venientibus, Eumaeus cum hospite profectus in luco Nympharum occurrit Melanthio caprario. *Dolii filio, oves agenti procorum epulis;* qui verbis aggressus, vi etiam mendico illata praecurrit domum Ulixis et exadversus Eurymachum, fautorem suum, considit. Illi ante domum Argum canem iacentem vident, qui agnito domino suo moritur. Prior deinde intrat Eumaeus, paullo post sequitur mendicus et in limine fraxineo considit: cui Telemachus per Eumaeum cibum dat *suadetque ut ab omnibus convivis stipem colligat.* Dono Telemachi consumpto mendicus *hortante Minerva* procos ambit. Quibus quis sit mirantibus Melanthius refert eum a subulco adductum esse; unde altercatione orta inter Antinoum et subulcum Telemachumque ille mendico minatur scabello sublato. A ceteris procis benigne exceptus, ad Antinoum mendicus se convertens huic partem eorum quae Eumaeum docuerat narrat, adiungit *se Cypro Ithacam venisse.* Sed ab Antinoo repulsus obiurgatione non abstinet; iratus ille scabello petit Ulixem, ceteris procis improbantibus. Penelope ubi hospitem laesum audit: „*Ita te*" inquit „*feriat Apollo*" Eurynomaeque rem gestam ostendit, *sedens in cubiculo.* Eumaeus ab ea appellatus docet mendicum affirmare se esse Cretensem, *Ulixis hospitem, Minois progeniem* et in Thesprotia se de Ulixe audisse. Quo nuntio incitata Penelope,

---

1) ϱ 68. At β 15 occurrit Aegyptius senex, cuius filius Antiphus a Cyclope occisus dicitur. Nostro loco similiter in narratione peccatur atque in Iliade E 576 coll. N 643.

vituperata procorum insolentia, mendicum arcessi iubet. Hic autem procos metuens ne se per conclave euntem laedant, per Eumaeum renuntiat se malle vesperi, procis profectis, solum cum sola colloqui. Quod ubi reginae probatum videt, Eumaeus Telemachum periculi a procis instantis admonet, *cenaque vespertina* sumpta, cum proci cantu et saltando delectantur, ad casam suam redit. — Supervenit Irus mendicus qui hospitem ad pugnam lacessit; *favente Antinoo* hospes, viribus auctus a Minerva, cum eo congreditur victumque foras trahit. Congratulantibus procis, Amphinomum imprimis ei studentem hospes a malis propositis deducere frustra conatur. Dum haec aguntur, Penelope a Minerva incitata ad visendos procos, ut eorum animos expandat *et a marito filioque maiorem etiam laudem consequatur* cum Eurynome consilium suum communicat, simulans se Telemachi monendi causa descensuram. Illa, *probata animi huius mutatione cum iam filius adultus sit*, ancillas ad comitandam dominam vocatum abit. Interim Minerva Penelopae consopitae pulcritudinem auget. Ex somno autem excitata comitantibus ancillis descendit ad procos qui forma capti cupidine eius exardescunt. Ad Telemachum conversa Penelope *obscura quaedam loquitur de hospite violato*, increpans filii ignaviam. Qui se excusans propter importunitatem procorum, addit *rem non ex illorum voluntate gestam, sed* Irum ab hospite omni corporis robore spoliatum esse; *quod deos rogat ut item procis fiat. His ita colloquentibus* Eurymachus admirationem suam Penelopae verbis ostendit; quibus repudiatis Penelope iam sibi diem, ad novum matrimonium ab Ulixe proficiscenti indicatum, advenisse dicens queritur procos insolito modo ipsius bona comedere, ipsos dona nulla offerre. *Gaudet Ulixes uxoris dolo cognito;* dona ab Antinoo reliquisque procis offeruntur, quibus adeptis Penelope abit. *Ad cantum saltationemque se vertentibus procis* ancillas hospes lucis praebendae munere levaturus obiurgatur a Melantho, *Dolii filia*, Eurymachi amica, fortiorem quam Irum adversa-

rium ei metuendum dicenti. Quam postquam mendicus minatus iram Telemachi una cum ceteris ancillis expulit, ipse officio earum fungitur. Tum Eurymachus, Minerva instigante, irridet mendicum ob calvitiem capitis lumine illustrati, *isdem fere verbis quibus antea Melanthius usus.* Cui ira hospes commotus ipse quoque verba pungentia respondet; quo facto scabello ab Eurymacho petitus confugit ad Amphinomum; pincerna scabello feritur. *Procos mendicum exsecrantes* Telemachus reprehendit, Amphinomus sedat. Qui postquam libatione facta abierunt, Ulixes cum Telemacho relictus hunc arma abscondere iubet, *iterato quod in consultatione libri π excogitaverat commento adversus procos utendo; ancillis per Eurycliam exclusis* arma auferuntur, quo facto Telemachus cubitum it. *Mendico relicto* obviam venit Penelope; veniunt ancillae *ex conclavi* ad mensas tollendas; e quibus Melantho iterum mendicum obiurgantem Penelope pessimi facinoris consciam dicit: *quippe suo ipsius iussu hospitem se manere idque eam bene novisse.* Deinde sedili ab Eurynome posito residens hospitem rogat quis sit. Quod cum ille dicere recuset ne memoria malorum opprimatur, ipsa de suis aerumnis incipit narrare deque procis staminis dolo delusis et de matrimonio, cum iam adultus sit Telemachus, brevi futuro; postremo quaestionem suam iterat. Tunc hospes Cretensem se esse dicit, Minois nepotem, Idomenei fratrem, nomine Aethonem 1); affirmat in Creta apud se Ulixem devertisse cum Troiam iter faceret. His verbis Penelopae lacrimas movens, se ipsum magna contentione reprimit; rogantique depingit personam et speciem Ulixis; qua re gravius etiam commotam consolatur indicando proximo Ulixis reditu, de quo a Phidone rege Thesprotiae acceperit. *Ad eum enim Ulixem, nave Iovis et Solis opera amissa, a Phaeacibus deductum; inde Dodonam profectum oraculum Iovis de suo reditu consulturum.* Postremo

---

1) Ad nomen Αἴθων (τ 183) cf. Pind. Ol. XI: 20 αἴθων ἀλώπηξ i. e. δολία ut Schol. explicat.

iure iurando affirmat Ulixem inter huius mensis finem proximique initium adfuturum domi. Hoc quamquam non potest ei persuadere, tamen Penelope sinit gratias, quae ancillas pedes eius lavare iubet. Cum non nisi *vetulae*, *tantum malorum quantum ipse per pessae*, se semetipsum committere velle hospes dicat, Penelope Eurycliam appellat monetque *et aequalem lavet domini sui, laboribus suis ad eundem fortasse redacti statum corporis atque hospitem.* Euryclia hospiti ancillarum petulantiam aversanti libenter se servituram dicit, *cum praesertim in eo tanta cum Ulixe formae sit similitudo;* quod concedit Ulixes Dum balneum apparatur, hospes ex luce foci recedit, *metuens ne Euryclia cicatricem volneris, quod quondam apud Autolycum avum in Parnasso venans acceperat, agnoscat.* Qua tamen animadversa cum Euryclia dominum reducem Penelopae significare vellet, *cum dominae mentem ab observandis vetulae gestibus ac perturbatione avertit Minerva*, tum ipse Ulixes Eurycliam a faciendo quod intenderat vi mortisque metu retinet. *Cui pollicenti ancillas perfidas postea se indicaturam Ulixes id opus esse negat.* Finita lavatione Penelope *redintegrato colloquio* dicit se dubitare num diutius novum matrimonium differre possit, cum praesertim Telemachus iam adultus, ut a procorum iniuriis liberetur, incitet; deinde autem rogat quid sentiat de somnio suo *in quo aquila necatis XX anseribus ipsius humana voce pronuntiare visa sit*, Ulixem se, procos interfecturum, domum redisse. *Quod cum aliter explicare nequeat hospes*, tamen Penelope eo somnio sibi persuasum esse negat dicitque *se cras, ad explorandum cui nubat*, procis certamen arcus tendendi propositurum; quam ad rem faciendam animum eius confirmat hospes, affirmans neminem ex procis *hunc* arcum intenturum esse. Colloquio finito abit Penelope et Minervae opera obdormiscit. Noctem agenti inquietam Ulixi et de caede procorum sollicito Minerva se offert; quam ubi rogavit *quo modo procis caesis salvus esse possit*, confirmatus a dea obdormiscit.

Nec magis Penelope placido fruitur somno, quam primo

mane querimonias fundentem quod per somnium ipse Ulixes iuxta se cubare sibi visus sit, audit Ulixes experrectus; cui imploranti deorum auxilium augurium precibus eius a Iove datum proximum procorum interitum declarat. Dum orto deinde sole aedes festo diei agendo instruuntur, *Telemachus de nocturno colloquio cum narratione libri praecedentis pugnantia* 1) accipit ab Euryclia. Illo ad forum profecto subulcus sues die festo mactandas agens salutat hospitem, caprarius capras agens lacessit, Philoetius bubulcus boves agens *regis similem* dicit, 2) et ab Eumaeo eius nomen exquirit sed responso non expectato *Ulixem obscura oratione miseratur;* qua re hospiti occasio datur iure iurando affirmandi Ulixem bubulco praesente adfuturum domi et procos occisurum. Quo audito Eumaeus Philoetiusque auxilium suum promittunt. *Interea proci Telemacho perniciem struentes absterrentur augurio* 3), domum Ulixis intrant, ministerio pastorum ad cenam apparandam utuntur, apparata fruuntur. Telemachus qui quid in foro egerit aut quando redierit non apparet mendico sedem iuxta *limen lapideum* assignat, monitis procis ne eum laedant; cui Antinous invitus morigeratur. — *Hostiae a praeconibus per urbem ducuntur; Ithacenses in lucum Apollinis se conferunt. Proci parata cena fruuntur:* e quibus a Minerva incitatis Ctesippus per contumeliam mendicum crure petit bovino. Huic minatur *Telemachus confusamque querimoniam effundit*; 4) cui conce-

---

1) *v* 134 sq. *οἶνον μὲν γὰρ ἔπινε καθήμενος ὄφρ' ἔθελ' αὐτός, σίτου δ' οὐκέτ' ἔφη πεινήμεναι· εὖρεττα γάρ μιν.* Nihil tale narratur in libro *τ*.

2) *v* 194. *δύσμορος! ἦ τε ἔοικε δίμας βασιλῆι ἄνακτι* fortasse legendum: *Ὀδυσῆι ἄνακτι* coll. *v* 204 sqq.

3) *v* 243. *αἰετὸς ὑψιπετής, ἔχε δὲ τρήρωνα πέλειαν* Nimis breviter his paucis verbis significatum augurium contrarium.

4) cf. Bekker Hom. Bl. I pg. 131: „die rede des Telemachos, die 304 anfängt, schlösse schicklich mit 310. Der kräftige, scharf einschneidende Ton der 7 ersten Verse geht mit 311 unvermittelt in eine weichliche Ergebung über, die den 320 ff. geschilderten Eindruck nicht hervorbringen kann und sich überdies ziemlich verworren ausspricht.... Übrigens ist *v* 313 die Ellipse oder Synesis an *καὶ σίτου* weder üblich

dens *Agelaus* suadet ut novum matris matrimonium acceleret; quod ille invita matre se facturum esse negat. Procis super cenam a Minerva dementatis *Theoclymenus* mente praevisum eorum interitum ostendit; sed ab Eurymacho irrisus domum relinquit. Cavillationes procorum de suis hospitibus non curans Telemachus *anxie expectat signum a patre dandum;* Penelope autem ibi considit unde omnia quae fiant exaudire possit. *Quae a Minerva incitata ad certamen arcus procis instituendum,* lacrimans arcum Ulixis e thalamo apportat et suum exponit consilium procis. Lacrimantibus Eumaeo et Philoetio *Telemachus suam sibi laetitiam hac occasione inexplicabilem videri dicit.* Omnibus rebus praeparatis ipse primus arcum tendere conatur sed a patre nutu repressus cum in eo esset ut tenderet, desistit. Succedit Leodes haruspex aliique rem frustra temptantes; cum iam victoriae spe omnes praeter Antinoum et Eurymachum deiecti essent, *Eumaeus et Philoetius exeunt;* quos secutus Ulixes *iterum exploratis eorum animis* per cicatricem agnoscendum se iis praebet; deinde quid fieri velit doctos intro redire iubet. Ipse paullo post regressus ad Eurymachum ordinem certaminis redisse reperit; quo post vanos conatus graviter querente Antinous cras certamen repetendum, nunc propter Apollinis festum desistendum censet. Qua re probata et libatione facta hospes dolose a procis petit ut sibi liceat arcum tractare. Cui cum Antinous et Eurymachus irati minantur, Penelope *laudato hospitis robore et specie,* 1) morem gestum vult victorique dona promittit; sed a Telemacho, sui rem esse arbitrii perhibenti, ad cubiculum suum remissa, *Minervae cura obdormiscit.* Tunc Eumaeus, minantibus procis, *hortante Telemacho,* Ulixi arcum tradit Eurycliamque *Telemachi nomine* mulierum conclave occludere

noch angenehm; υ 315—319 aber schon π 105—9 da gewesen, υ 316 auch Γ 41 und λ 358." Addere potuit versum υ 314 ex β 73 et re vera υ 315—19 ex libro π petitos esse; nam υ 314 non cohaeret cum sequentibus et 317—19 in υ minus apti sunt, cum de vi ancillis illata nihil praecedat.

1) φ 334. οὗτος δὲ ξεῖνος μάλα μὲν μέγας ἠδ' ἐυπηγής.

iubet; Philoetius vero aulae fores claudit. Mirantibus procis hospes Iovis tonitru confirmatus arcum tendit sagittamque per secures transigit; et signo ab eo accepto Telemachus gladio hastaque armatus iuxta sellam eius consistit. Tum vero excussis pannis arcu sagittisque instructus Ulixes ad limen advolat et inopinantem Antinoum telo configit. Cuius casu concitati proci, tumultuantes, arma circumspicientes, infelici hospiti mortem minantur; qui Ulixem se professus ab iis poenas dicit se sumpturum iniuriarum rei suae, famulis, uxori intentarum. Eurymachum lenire eum frustra conatum, deinde reliquos ad defendendam vitam hortatum occidit gladio irruentem. Amphinomus cadit a tergo ictus hasta Telemachi, *quam in eius corpore relinquit ille*, patri pastoribus sibi ex thalamo arma allaturus. *Interim singulos deinceps procos sagittis configit Ulixes;* 1) deinde post exhaustas sagittas sumptis scuto hasta galea reliquos aggredi parat Agelao autem suadente ut quis per ianuam quandam exiens rem populo significet. Melanthius id fieri posse negat, sed promittit se arma procis allaturum indidem unde Telemachus sua sumpserit. Quo facto procos armatos conspicatus Ulixes, Melanthii fraude animadversa Eumaeum Philoetiumque eam rem iubet curare; qui caprarium iterum thalamum ingressum subito adorti vinculis onerant. Dum haec geruntur *Minerva Mentoris speciem referens pugnae intervenit;* quae dum advocatur ab Ulixe, simul dehortante Agelao, illi auxilium quidem promittit *sed nondum data victoria spectaculo pascitur, hirundinis specie lacunaris in tigno insidens.* Tandem Ctesippo, Leocrito aliisque procis (*quorum bis Minerva hastas avertit ab Ulixe*) interfectis, *Minerva aegidem incutiens* reliquos conturbat, qui omnes caeduntur praeter Phemium et Medontem. His actis vocatur Euryclia, quam visis cadaveribus ululare volentem vetat Ulixes *et eam interrogat de ancillis puniendis*, ex quibus XII supplicio destinantur. Hae iussu

---

1) Ad hoc miraculum explicandum Schol. EHMQT ad α 262 venenatis sagittis Ulixem facit utentem.

Ulixis ab Euryclia priusquam Penelopem expergefaciat adductae postquam poenas dederunt, victores abluuntur excepto Ulixe; *qui admonenti Eurycliae ut novas induat vestes* imperat ut ignem primum afferat Penelopemque arcessat. Purificata domo ancillae fideles salutatum veniunt Ulixem *eumque osculantur*. Sed Penelopen expergefacit Euryclia nuntians Ulixem venisse procosque occidisse: *huius reditum Telemachum unum cognitum habuisse*. Roganti autem *qua ratione unus homo tot hostes interfecerit*, hoc se dicere posse negat, cum occisis demum procis conclave intraverit; opinantem tamen deum aliquem non Ulixem auctorem facti esse *redarguit cicatricis facta mentione* nec vero persuadet. Descendit nihilominus Penelope et exadversus Ulixem considit incerta ac dubitabunda; quocirca reprehensa a Telemacho respondet, si vere ille sit Ulixes, fore ut signo quodam mox mutuo sese agnoscant. Qua re probata *Ulixes Telemachum ultionis a procorum expectandae necessariis admonet;* itaque ad celandam caedem per dolum nuptiarum speciem ostendendam curat. Mox autem a balneo, *formosior redditus a Minerva*, reversus ad Penelopen *eadem utitur oratione qua Telemachus matrem modo reprehenderat* et lectum sibi sterni iubet. Tum Penelopem Eurycliae imperantem ut proprium Ulixis lectum extra cubiculum ponat, ira commotus Ulixes rogat, quis constructionem lecti sui mutasset, quem ita panxisset ut loco moveri non posset. His vero auditis a marito sic agnito cunctationis suae veniam implorat Penelope, *Helenae exemplo eam defendens;* qua impetrata maritum amplectitur et post longum colloquium (*in quo mandatum Tiresiae cum eo communicat Ulixes*) ambo ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἴκοντο. — Nocte Minervae opera prolongata ceteris dormientibus in lecto confabulantur; dum commemorat Penelope iniurias sibi factas a procis, Ulixes autem narrat de Ciconibus, Lotophagis, Cyclope, Aeolo, Laestrygonibus, Circe; *de Tiresia amicis matre in Orco conspectis*, de Sirenis, Planctis, Scylla et Charybdi; de armentis solis deque Calypso Phaeacibusque. Diei luce a Minerva restituta Ulixes cum

Telemacho pastoribusque nebula obvoluti in agros exeunt, cum animae procorum a Mercurio in Orcum ducuntur. Ibi Agamemno colloquens cum Achille agnoscit Amphimedontem cuius hospitio antea cum Menelao usus erat. Is rogatu eius narrat quomodo ipse ceterique proci interissent: post staminis dolum prehensum Ulixem mendici specie venisse, iniurias ei illatas multas, arma ab ipso filioque abscondita, *consilium certaminis instituendi Penelopae ab Ulixe datum;* in ipso certamine adiuvante deorum aliquo se omnes occisos esse, quorum nunc etiam corpora in aedibus Ulixis iaceant insepulta. His auditis laudat Penelopae Agamemno constantiam *opponens perfidiam Clytaemestrae.* — Interea Ulixes in hortos suos adveniens seni Laertae per cicatricem et memoriam doni olim dati se agnoscendum praebet; a quo magno gaudio exceptus, domum ingressus, mensae apparatae accumbit. Intrant *Dolius cum filiis* et Ulixem agnitum salutant. Ithacenses autem ablatis cadaveribus in foro collectos Eupithes, Antinoi pater, incendit ad suos ulciscendos; supervenit Phemius cum Medonte qui caedem procorum auxilio deorum factam describit. Post quem Halitherses populum ad quietem hortatur. Minor tamen pars Eupithem sequitur. Iovis consilio explorato Minerva, Mentoris formam induta, Ulixem instantium hostium admonet; eius opera socii Ulixis profligant accedentes *sed a persequendo absterrentur Iovis fulmine.* Postremo Minerva pacem inter utrosque componit.

Hic igitur est ordo rerum quae insunt in Odyssea, qui quatenus laude a Friedlaendero tributa dignus sit partim in enarratione ipsa significare conati sumus, iam vero accuratius hac de re disputabimus. Itaque contra Friedlaenderi sententiam animadvertendum est, ordinem rerum quo facta mentione Ulixis statim digreditur ad res Telemachi narrandas pro perfecto haberi non posse: quae ratio duobus personis principem in narratione locum obtinentibus utendi in libris ο π ρ quoque multas magnasque difficultates genuit. Sed ne hoc quidem excepto structura „bene excogitata" dici potest.

I.1. Primum enim notandum est saepissime expositionem

futuri facti non convenire cum ipso facto narrato aut explicationem praeteritae rei cum praegressa narratione non quadrare. Ita Jovis oraculum de reditu Ulixis (ε 29 sqq.) rationem nullam habet sequentis facti ipsius neque periculi Ulixi in Ithaca subeundi. Terminus ab Alcinoo (η 317 sqq.) statutus hospiti dimittendo postea neglegitur, quo factum est ut deinde de prolongata Ulixis apud Phaeaces statione ratio reddenda esset, nonnullis versibus minus apte in librum λ (328 cett.) illatis et addita in libro ν (16 cett.) unius diei descriptione qui nihil profert narrationem. Ulixis et Minervae quam nunc legimus consultatio (ν 375 sqq.) nullam utilitatem praebet rebus gerendis; quaeque a Minerva instituitur transfiguratio Ulixis, ea multis locis 1) postea ignoratur. Consilium quod Minerva Telemacho dat (libri ο in.) aliis eventibus immutatum videmus; quae autem Ulixes et filius ineunt consilia (libro π) aut omnino non ad effectum veniunt aut partim tantum peraguntur, ut de armis abscondendis, de ancillis explorandis. Quae libro τ 571 cett. Penelope docet de certamine instituendo, haec libro φ in., ubi Minerva eius consilii auctor dicitur, ignorantur. Plura afferre possumus; sed ex omnibus his apparet tales locos, quemadmodum etiam Minervae cum Telemacho consultatio in libro α, aut post factorum ipsorum narrationem additos esse aut ad diversam carminis recensionem pertinere; quod ibi quoque valet ubi ad praeterita respicitur.

I. 2. Sic deorum concilium (libr. ε in.) alterum non concinit cum priore; sic in Ulixis narratione de adventu suo ad Phaeaces (libr. η 266 cett.) auxilium Leucotheae omittitur (abest etiam a libro ζ 119, 176). Eodem loco Ulixis de se ipso excepto a Nausicaa narrat non congruentia cum libro ζ 258 sqq.; idem valet de iis quae in libro ϱ 120, 148 sqq. Telemachus matri de suo itinere refert cum toto libro δ comparatis, quod tamen hoc loco neglegentiae potius tribuendum videtur 2). Errores suos

1) ξ 214 ϱ 484 τ 357 sqq. 379 sqq., υ 194 ψ 334 et omnino in libris χ et ψ. Vide infra pg. 70 sq.

2) Aliter F. de Duhn, de Menelai itinere Aegyptio pg. 9 (1874.)

aliter narrat Ulixes Antinoo atque Eumaeo, quamquam hoc praesente (ϱ 442 cett.); Eumaeus (ϱ 522 cett.) de Ulixe aliter indicat Penelopae atque ex ipso (in libro ξ) audiit. Coram Penelope praeterita memorans Ulixes omittit Calypso (τ 278), cum continuo a Thrinacia Scheriam venisse se dicat; item postea (ψ 324 cett.) in summario omnium errorum quaedam de Orco omittuntur. Quae Euryclia (υ 136 cett.) de praecedenti nocte refert, pugnant cum narratione libri τ; eadem (ψ 26 cett.) de Ulixe reduce sic loquitur quasi nullum certamen praecesserit neque antea a se agnitus sit. Postremo in altera νεκυίᾳ Amphimedontis narratio non conspirat cum praegressis; quippe quae duo gravissima momenta actionis addita habeat 1).

II. Deinde ad elegantem compositionem non faciunt momenta multa immodice repetita. Ut saepius adnimadversum est, omni noctis diei hora obdormiscit Penelope, nimis frequenter vescitur Ulixes (imprimis in ϱ σ), descendit Penelope ad procos 2). Ter staminis dolus narratur, ter origo procorum 3); ter Ulixes violatur a procis. Nimis saepe eius pulcritudo augetur a Minerva: quod ζ 229 post balneum bene se habet, sine causa repetitur ϑ 19 ante contionem Phaeacum. Idem accidit in Telemacho 4). Bis apud Phaeaces Ulixes lacrimas fundit; et ab Agamemnone (λ 455 sq.) et a Minerva (ν 308 sq.) admonetur, ut omnes de reditu suo celet; eadem a Tiresia eadem a Circe de reditu suo discit; et Neptuni et Solis ira urgetur; quaedam persona Calypsus communia habet cum Circes persona. Exemplorum numerus augeri potest; sed hoc quidem loco haec sufficiant.

III. 1. Tertio compositionem imperfectam reddunt momenta

---

1) ω 147 *εὖθ' ἥ φᾶρος ἔδειξεν* .... 149 *καὶ τότε δή ῥ' Ὀδυσῆα κακὸς ποθεν ἤγαγε δαίμων* et ω 167 *αὐτὰρ ἣ ἦν ἄλοχον πολυκερδείῃσιν ἄνωγεν τόξον μνηστῆρεσσι θέμεν* etc.

2) cf. ο 516 ... *οὐ μὲν γάρ τι θαμὰ μνηστῆρσ' ἐνὶ οἴκῳ φαίνεται, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὑπερωίῳ ἑστὸν ὑφαίνει.*

3) α 205 cett. = π 121 cett. = τ 130 cett. *ὅσσοι γὰρ νήσοισιν ἐπικρατέουσιν ἄριστοι* cett.

4) β 12 sq. ϱ 63 sq.

nonnulla neglegenter tractata aut alia adhibita quae cum cetera narratione pugnant.

Illorum exemplum afferamus insidias a procis structas Telemacho, quas poeta ita tractavit, ut panniculi instar carmini insertae videantur; parantur enim in fine libri δ 624—74, 842—47, nullo cum praegessa narratione conexae vinculo; memorantur aliquotiens in libris ν 425 sqq. ξ 181 sq. ο 28 sq. 300 π 342—408, 462 sq. 473 sq., abrupte concluduntur in libro υ 241—47 neque maioris momenti sunt in actione constituenda quam episodia de Theoclymeno vate 1). Sic quoque ira Neptuni in fine demum errorum calamitatis alicuius causa fit et Tiresiae mandatum de Neptuno placando ultra totius carminis fines extenditur. Sacrificium Apollinis variis locis in υ 156 276 et φ 258 memoratum quid sibi velit iam non apparet. Adiungi potest, quod iam Bekkero 2) mirum visum est, Dolii liberos dici et servum et ancillam nequam Melanthium et Melantho: ipsius autem patris nomen pravi aliquid prae se ferre — quamquam in libris δ et ω fidelis apparitoris partes sustinet; nec tamen haec Melanthii et Melanthus necessitudo aut communis amborum indoles novum ullum narrationi momentum addidit; ita ut earum rerum in nostra Odyssea iam nulla appareat causa.

III². Magis etiam compositioni officiunt quae diximus reperiri momenta pugnantia cum ceteris. Itaque nonnullis locis de Phaeacibus ut inhospitalibus sermo est 3) cum tamen et universa narratio contrarium probet et singuli loci ut η 191 sq. ϑ 315 sq. 544 sq. 565 sq. ν 173 sq π 227 sq; Helena in libris δ, ο in magno honore habetur, alibi 4) vituperatur. Item Penelope varie tractatur 5). Pugnat cum sequentibus,

---

1) Locum χ 53 *ἀτὰρ σὸν παῖδα κατακτείνειε λοχήσας* non necessario ad narratas insidias pertinere observavit Seeck.

2) Hom. Blätter I pg. 110.

3) ϑ 32, 444 ν 209.

4) λ 438 ξ 68 ψ 218.

5) β 91 sq. = ν 380 sq. Penelope procos promissis illicere dicitur. Sed praecipue ο 20 cett. Minerva ei male dicit, tanquam avaritiae communi mulierum vitio obnoxiae.

quod in fine libri (ι 554 sq) indicatur Iovis consilium classis Ulixeae perdendae; quod Circe (κ 137) soror Aeetae, Solis filia dicitur; quod in libro σ Penelope descendit ad procos eiusque ad eos oratio, qua novum matrimonium inituram se dicit, Ulixem gaudio afficit (cf. p. 97); quod Ulixes τ 390 metuens ne a suis agnoscatur in lavando, ad hanc rem ex ancillis potissimum eligit Eurycliam cui soli familiarissime notus est 1). Pugnat cum ceteris quod in fine libri ν (385) Telemachus dicitur expectare signum quo dato Ulixes procos aggressurus sit; nec non verba eius φ 102 cett. non congruunt cum narratione praegressa, qua non dicitur novisse mentem Penelopes. Sunt etiam alia multa, quae hoc loco enumerare supersedeo.

IV. Si uno consilio Odyssea elaborata esset, unus ubique rerum domesticarum color expectari deberet; quem interdum desiderari uno probabimus exemplo. Telemachus ρ 30 *lapideum* limen transgreditur; ν 258 φ 88 aliud, sed tamen lapideum limen memoratur; at ρ 339 idem limen quod Telemachus transgressus est *fraxineum* vocatur et thalamus quem φ 43 Penelope ingreditur *quernum* limen habet. Itaque antiquior iuxta recentiorem materiam in aedificandis domibus memorata temporum diversitatem ostendit 2).

V. Multum etiam obstat quominus cum Friedlaendero consentiamus, quod nequaquam in toto carmine eadem artis aut potius naturae Homericae, quae omni arte praestantior est, perfectio adest. Nam cum singulae narrationes merito praeclarissimae praedicantur, transitus ad sequentia saepe minimam aut nullam poeticam virtutem habent. Qualia

---

1) Schol. MV ad τ 346 *εἰ μή τις γρηῢς ἔστι*] *ἀθετοῦνται οἱ τρεῖς . . ὅτι αἱρεῖται τὴν δυναμένην ἐπιγνῶναι.* Recte observatum; ceterum *τὸ ἀθετεῖν* compositionis emendandae causae antiquis relinquamus.

2) cf. Helbig, das Hom. Epos² pg. 111 n. 3 „die verschiedene Angabe des Materials liefert einen deutlichen Beweis dafür, dass die Dichter von dem Hause des Odysseus eine zum mindesten in manchen, Einzelheiten verschiedene Vorstellung hatten. Idem animadvertit Seeck Quellen der Odyssee.

sunt libri δ finis, ε initium, ϑ finis, media pars libri ν (303—386), initium libri ο, ϱ finis et initium, posterior pars libri τ, υ totum fere, media pars libri χ — ut de libris α et ο nunc quidem sileamus; — quas partes cum perlustramus aegre nobis persuademus eum poetam qui Cyclopiam aut qui Ulixis et Penelopes colloquium nocturnum (τ) cecinit ad tantam debilitatem neglegentiamque delabi potuisse: quae neglegentia vel in imaginibus parum apte adhibitis spectatur 1).

Hucusque collegimus ea vitia, quorum naturam ita Sengebusch, Diss. Hom. II pg. 88 expressit: „Tria reperiri in utroque carmine aut iam omnes aut plures consentiunt: alium aliis in partibus sermonis colorem, rerum narratarum discrepantias permultas, suturas non paucas." Sed una eaque magni momenti res addenda est.

VI. Carmina Homerica in hoc conspirant cum Fennorum Kalevala aut quacumque alia poesi populari, quod omnis generis iterationibus gaudent cf. Bekker H. Bl. I pg. 185. Suetae occasiones occupationesque vitae, solis ortus occasusque, cena sacrificium libatio, cubitum ire cubitu surgere, navigatio tempestas cetera quotiens recurrunt eisdem versibus dicuntur; quemadmodum mandatum iisdem verbis perfertur quibus antea datum est, et colloquia, quaestiones, responsa certis formulis introducuntur et absolvuntur. Et reliqua orationis indoles et haec proprietas — ut optime docuit Joh.

---

1) δ 791 sqq. Penelopes de filio sollicitae cogitationes comparantur cum leonis affectibus undique a venatoribus circumventi.

ϑ 523 sqq. Ulixes Demodoci cantu motus lacrimas fundere dicitur, ut captiva mulier maritum in defensione urbis suae cadentem deflet.

π 217 sqq. Ulixes pater filio, filius patre agnito, lacrimas fundunt tamquam aquilae cum pullos sibi eripi vident.

τ 518 sqq. Dubitationes in mente Penelopes comparantur cum cantu Aëdonis (lusciniae) de filio necato lamentantis.

υ 12 sqq. Ulixes ancillis suis iratus comparatur cum cane qui latrans suos catulos defendit.

ibid. 25. Eiusdem, cum „noctem patitur lugentis amicum Pelidae cubat in faciem, mox deinde supinus" (Juven.), motus turbati comparantur cum farcimine quod assatur.

Minckwitz 1) — documento est originem Homericae poeseos primamque traditionem cum facultate scribendi nihil commune habere, cum apud alias gentes eadem proprietas necessario gignatur eo ipso, quod artis scribendi imperiti non nisi ore hominum tradita alius ab alio carmina discit. Itaque quaestio de antiquitate scribendi usus post Fr. A. Wolfium totiens ventilata, ad originem Homerici carminis explicandam pertinere non videtur.

Sed cum haec iterata epicae poesi propria sunt, unum repetitionum genus in Homero solo 2) obvium est. Saepe enim fit ut aut singuli versus aut simul plures alio loco bene positi recurrant alio loco ubi sententiam minus aptam contextui efficiunt; interdum autem prorsus iidem iterantur, interdum leviter immutati. Velut α 356 cett. = φ 350 cett. Telemachus matrem dimittens his verbis utitur:

ἀλλ' ἐς οἶκον ἰοῦσα τέ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε.

---

1) Hom. Vorschule pg. 150 cett.

2) Simile quidem aliquid invenitur in Fennorum Kalevala nostris temporibus a viro docto Loenrot religiosissime ex pluribus suae gentis carminibus epicis magicisque, quantum fieri potuit in unum collectis, composito. De qua re sic agit D. Comparetti („der Kalevala" vers. germ. pg. 64 Halle 1892): „in denselben Runen [ist es] Wäinämöinen, der nach Erschaffung der Welt auf den Meeren herumirrend nach Pohjola gelangt, auf jener Reise, die ihn nach der fremden ungastlichen, den Helden verhängnissvollen Gegend führt

„nach jenem Land ohne Priester, *jenem ungetauften Lande*"!

Dieser hier so grell anachronistische Ausdruck ist einer dem westfinnischen Land entstammten Rune aus historischer und katholischer Zeit entnommen, und zwar der wohlbekannten, welche den Tod des Bischofs Heinrich, des Apostels der Finnen, erzählt, und in der jene Verse vollkommen am Platz sind; dort ermahnt der heilige Bischof den Schwedenkönig, die Bekehrung „ „jenes Landes ohne Priester, jenes ungetauften Landes" " zu unternehmen."

Talis tamen vitiosa repetitio mihi in legenda germanica versione Kalevalae quam fecit Schiefner nec saepius occurrit, nec eiusdem generis iterata videntur atque in Homericis carminibus, nec omnino satis tuto comparari possunt Homerica et Fennica; quod docuit Comparetti et quivis concedet examinata Kalevalae forma; quod nescio an facere neglexerit Jebb, in libro: „Homer."

Quod si tantum ex Odyssea hos versus cognitos haberemus fortasse cum Schol. E. H. M. quantumvis dubitanter consentiremus [ὅτι] *Ὅμηρος τὸν οἶκον ποτὲ μὲν καθολικῶς λαμβάνει, ἄλλοτε δὲ μερικῶς ἐπὶ τοῦ ἀνδρῶνος ἢ τῆς γυναικωνίτιδος*, quia nempe „*ληρῶδες οἶκοι τὴν Πηνελόπην οὖσαν προστάσσεσθαι οἴκαδε ἀπελθεῖν*". Cum vero idem versus in Iliade *Z* 490 ab Hectore ad uxorem in urbe foris versantem dicatur, negari non potest hunc locum ex Iliade male in Odyssea repetitum esse, nec non id quod sequitur *α* 360 = *φ* 354 = *ψ* 292 *οἰκόνδε βεβήκει* ex *Z* 495. Idem locus mutationis adhibitae exemplum praebet; nam cum *Z* 493 exstat: „*πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει Πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί, τοί Ἰλίῳ ἐγγεγάασι*" in Odyssea haec variantur: *α* 358 *μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει Πᾶσι μάλιστα δ' ἐμοί, τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ*". Reliquis locis *φ* 353 *τόξον* est pro *μῦθος*, *λ* 352 *πομπή* et „*τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ δήμῳ* 1).

Haec proprietas leviter immutatos versus iterandi interdum paroediae paene vim habet, quemadmodum Aristophanes nonnumquam versus Homeri leviter mutatos adhibet per iocum vel Matro (Athen. IV pg 134 d. sqq.); est etiam, ubi talibus repetitionibus sententia omnino pessumdata sit: cuius rei in paginae calce exempla quaedam adscripsimus 2). Hanc rem

---

1) cf. B 118 I 25 . . *τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον.*

2) *δ* 579 cet. Post primas personas *ἐρύσσαμεν . . . τιθέμεσθα* (577 sq.) subitus tansitus ad tertias personas *καθῖζον . . . τύπτον* (579 sqq.); versus 579 sq. male repetiti ex *ι* 104 sq. *β* 419 sq. vel simili loco. — Item *ι* 54 sq. ex *Σ* 533 sq., *ζ* 208 *δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε.* Haec manca sunt: pleniora *ξ* 58; item *η* 97 *ἔνθ' ἐνὶ πέπλοι Ἀσπετοὶ ἐύννητοι βεβλήατο, ἔ ρ γ α γ υ ν α ι κ ῶ ν* cf *Z* 289 *ἔνθ' οἱ ἔσαν πέπλοι, π α μ π ο ί κ ι λ α ἔ ρ γ α γ υ ν α ι κ ῶ ν Σ ι δ ω ν ί ω ν* aut *X* 511 *εἵματα Ἀσπετά τε καὶ χαρίεντα, τετυγμένα χεροὶ γυναικῶν.* In versu *ι* 15 *κήδε' ἐπεί μοι πολλὰ δόσαν* ordo verborum vitio laborat; ex *η* 292. *ο* 39 *ὅς τοι ὑῶν ἐπίουρος, ὁ μ ῶ ς δέ τοι ἤπια οἶδεν.* Inepte quia sequentibus omissis translatus versus ex *ν* 404 ubi sequitur: *παῖδά τε οἷον φιλέει καὶ* etc. *ο* 299 *ἔνθεν δ' αὖ νήσοισι ἐπιπροέηκε θ ο ῇ σ ι* cf. P 708: *κεῖνον μὲν δὴ νηυσὶν ἐπιπροέηκα θοῇσι.*

Multa alia in sequentibus afferam exempla.

brevitur ut solet attigit Cobetus Miscellan. Crit. pg. 401 sqq. cuius haec observatio diligenter animadvertenda est, quam de versibus γ 71 sqq. cum ι 252 sqq. comparatis [exstant autem etiam Hymn. in Ap. Pyth. 274 cf. Thuc. I : 5 : 2] fecit: „Mihi quidem eximii versus neque hoc loco neque illo nati videntur, sed ex antiquiore carmine sumpti per imitationem et huc et illuc non sine quadam molestia translati." Ceterum Goth. Hermannum (Opusc. VIII 1—22) et Duentzerum (Hom. Abhandl. 1872 pg. 464—84) secutus Carol. Sittl 1882 librum singularem de iteratis in Odyssea scripsit, quem postea tractabimus.

„His vero indiciis" — ita pergit Sengebusch l. l. (vid. p. 25) — „quid indicetur, de eo maxima est contentio." Quid in hac contentione virorum doctorum inde a Kirchhoffio studia profuerint ad compositionem Odysseae explicandam nobis ostendendum proposuimus; sed antea una quaestio consideranda nobis restat. Eorum quae attigimus vitiorum nonnulla critici Alexandrini interpolatorum quorundam culpae tribuunt et vitiosis versibus tamquam interpolationibus damnatis iustum carminis ordinem restituere conati sunt. Quibus unus omnium maxime se opposuit Kirchhoff in libro postea laudando pg. 282 scribens: „die Annahme einer Interpolation kann erst dann als erwiesen betrachtet werden, wenn eine Veranlassung, die sie hervorrief, überzeugend dargethan ist; ohne diesen Nachweis bleibt sie ein subjectives Meinen, welches vielleicht nicht widerlegt werden, aber auch auf keine Beachtung Anspruch machen kann." 1)

Hoc alii ex recentioribus probaverunt, cum contra alii, in hoc Alexandrinorum auctoritatem excedentes, dum eorum sententiam defendunt, certis quibusdam hominibus, rhapsodis scilicet, interpolandi consuetudinem adscribunt, debili admodum testimonio freti. Scribit Schol. ad Pind. Nem. II: 1: ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο [Ὁμηρίδαι] οἱ περὶ Κύναιθον, οὓς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν

1) cf. ibid. p. 578, 591.

εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν. Ἦν δὲ ὁ Κύναιθος τὸ γένος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων Ὁμήρου ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραφὼς ὕμνον ἀνατέθεικεν αὐτῷ cett ἄλλως· οἱ περὶ Κύναιθον ῥαβδῳδοί· οὗτοι γὰρ τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν ἐμνημόνευον καὶ ἀπήγγελλον. ἐλυμήναντο δὲ αὐτῆ πάνυ. 1) Cum mira ex his de Cynaethi Homericorum Carminum Ionica Versione Fickius in libris suis protulit, R. Volkmann 2), ratione habita pessimae horum scholiorum conditionis, quae repetitionibus scateant, opinatus est sententiam a nobis diductis litteris notatam nihil nisi alteram significationem esse eiusdem rei quae paulo post memoratur: Cynaethum scilicet hymnum in Apollinem composuisse. Quodsi ita se res habet (ut mihi quoque videtur) prorsus nihil de rhapsodorum interpolationibus compertum habemus. Sed praeterea illa ipsa interpolandi ratio minime credibilis mihi videtur. Nam quo argumento Lehrs 3) praecipuo utitur ad impugnandam traditionis fidem de Homericorum carminum collectione Pisistrato debita, multo plures amplioresque in his carminibus interpolationes inveniri debuisse quam paucas levesque illas quae ab antiquis Atticae recensioni adscribantur: quodsi re vera Pisistratus ea collegisset, minimum expectandam fuisse in illis ἀριστείαν Thesei aut alicuius herois Attici; id mirari soleo potius in contrariam partem valere. Nam interpolatorem in carminibus nobilibus notisque levibus additamentis locum quaerere in maiorem gloriam gentis suae, nihil amplius studentem nisi ut gentis laus aut nomen saltem paucis versibus commemoretur, id et per se credibile est et saepe factum videmus; at veri simile esse nego partes maiores hic illic in carminibus interpolatas esse neglegentia aut inscitia eorum, a quibus recitabantur; cum praesertim hae interpolationes quae dicuntur modo alium narrationis ordinem indicent, modo inter

1) Quaedam ex his, isdem verbis, itaque indidem aut ex communi fonte petita, apud Eusth. ad Iliad. pg. 6. Ed. Rom.

2) Progr. Gymn. Jauer. 1887 nº 176 pg. 10.

3) de Aristarch. pg. 447.

se cohaereant (ita ut una sublata plures simul notandae atque eiciendae sint) et sublatae non tamen omnino ordinem restituant. Eius enim interpolandi generis nec ratio nec modus apparet neque in aliis carminibus aut apud alias gentes simile quicquam obvium est; quae cogitatio mihi quidem ut prorsus Kirchhoffio assentirer persuasit.

A. Kirchhoff a° 1859 edito cum brevibus explicationibus Odysseae textu, ad mentem suam secundum compositionem in partes diviso, multas suas disputationes deinde variis in annalibus collocatas a° 1869 in unum volumen contraxit, quod a° 1879 iterum editum inscribitur: „die Homerische Odyssee." In praefatione sententiam suam de compositione Odysseae exposuit, quam annotationibus perpetuis ad textum et VI commentariis explicat. Eius autem haec summa est: Odysseam litteris mandatam esse iussu Pisistrati a viris lectis, qui paucissimis versibus adiectis in suum usum transtulerunt compilationem cuiusdam, quem Kirchhoff „den Bearbeiter" nos „diasceuastam" vocabimus. Is iudice Kirchhoffio suam compilationem circa Olympiadem XXX effecit mutata et dimidio amplius aucta antiquiore recensione, ut alias narrationes ad fabulam eandem pertinentes addere et totum carmen apte concludere posset. Huius porro fundamentum, antiquiorem illam recensionem, ipsam natam esse ex antiquissima parte Odysseae — vetere *νόστῳ* Ulixis — coniunctam cum *supplemento* res in Ithaca insula gestas continenti. Antiquissima autem pars secundum Kirchhoffium continebat iter Ulixis a Calypso ad Phaeaces, adventum in Scheriam, narrationem ad Alcinoum (ι.λ), reditum in Ithacam; finiebatur libro ν versu 184 (*ὣς ἔφαθ', οἳ δ' ἔδεισαν, ἑτοιμάσσαντο δὲ ταύρους*), condita est ante primam Olympiadem. Unum autem et simplex hanc partem dicit esse, iustae quam recentiores vocant *ἐποποιίας* naturam habens. Supplementum, quemadmodum nomen ipsum declarat, absoluto demum altera parte confectum esse pluribus carminibus epicis de fabula Ulixea inter se iunctis, ita tamen ut non plane coaluerint; unde explicari quod res narratae non semper sibi constent nec

eàdem poetica facultas obtineat in omnibus supplementi partibus.

Recensioni sic constitutae diasceuastam primum adiunxisse Telemachiam, quod olim carmen per se existens fuerit. Itaque ut Teiemachiam cum antiquiore carmine coniungeret, diasceuastam illam in duas partes divisam priorem partem per suturas quae sunt α 88—β 1, δ 610—ε 28, alteram eodem modo suturâ quae est ο 1—75 (ἀλλὰ μέν' εἰς ὅκε δῶρα φέρων ἐπιδίφρια θείω) intulisse. Deinde, cum in antiquissima quam Kirchhoff vocavit parte Ulixes, rogante Areta (η 238 τίς πόθεν ἔσσ' ἀνδρῶν cett.), suos errores narrasset et memorato Nausicaae auxilio substitisset, circa XXX Ol. hoc ipso loco (η 238) diasceuastam ordinem narrationis mutavisse ut aliud carmen de Ulixis erroribus (ϑ κ μ) addere posset. Id propter momenta ex Argonautarum fabulis repetita post XXIV Olympiadem compositum esse Kirchhoffio videtur; in quo cum olim non Ulixes ipse suos casus narrans induceretur sed poeta narraret, non nisi mutatis tertiis personis in primas id carmen diasceuastam coniungere potuisse cum antiquissimo ἀπολόγῳ; cuius mutationis etiamnunc vestigia appareant. Contra libros ι et λ his vestigiis carere et in λ etiam eo loco (326—384) ubi ἀπόλογος interrumpatur et eaedem sint personae quae in vetere νόστῳ Ulixem narrantem induci; qua re probari libros ι et λ ad veterem νόστον pertinuisse. Secundum ordinem igitur Odysseae nostrae ex sententia Kirchhoffi hae partes sunt: Telemachiae prima pars, veteris νόστου pars item prima, carmen de Ulixis erroribus a diasceuasta mutatum, νόστου finis, carmina epica ab auctore supplementi coniuncta, inter quae a diasceuasta reliqua pars Telemachiae illata est multis locis pugnans cum supplemento ipso 1). Itaque, ut ille dicit, cetera pars libri ν continet

1) Ut π 23—29 non constat sibi quod Eumaeus primum dicit:

ἦλθες, Τηλέμαχε, γλυκερὸν φάος, οὔ σ' ἔτ' ἔγωγε
ὄψεσθαι ἐφάμην, ἐπεὶ ὤχεο νηῒ Πύλονδε. = ρ 41 sq.

deinde prorsus aliam suae laetitiae causam affert:

οὐ μέν γάρ τι θάμ' ἀγρὸν ἐπέρχεαι οὐδὲ νομῆας
ἀλλ' ἐπιδημεύεις· ὣς γάρ νύ τοι εὔαδε θυμῷ
ἀνδρῶν μνηστήρων ἐσορᾶν ἀϊδηλον ὅμιλον.

(Kirchh. pg. 503.)

et supplementi auctoris et diasceuastae supplementa; ξ est carmen epicum (pg. 500), ο pars Telemachiae, π ad supplementi auctorem, ρ partim ad Telemachiam, partim ad supplementi auctorem pertinet (pg. 509); σ continet carmina epica ab illo coniuncta (pg. 518), item τ (pg. 521); υ ad supplementi auctorem pertinet φ et χ e duobus epicis carminibus formati sunt, quorum alterum Kirchhoff dicit habuisse arcus certamen et caedes procorum in luco Apollinis factas, cum in altero domi Ulixis proci aliis telis interficerentur: sed prius carmen auctori supplementi, alioquin fontibus suis bene uso, minus clare animo obversatum esse. (pag. 526). ψ dicit ab auctore supplementi, ω a diasceuasta ipso compositum: nam quod ad Ulixis et Laertae ἀναγνωρισμόν attinet, nullam causam esse putat Kirchhoff cur non tribuamus diasceuastae facultatem pulcri interdum carminis faciendi. (pg. 533).

Has suas sententias Kirchhoff in commentariis ampla disputatione studuit comprobare; e quibus II et IV agunt de temporibus finiendis. Exstat apud Eustathium ad π 118 (pg. 1796 ed. Rom.) fragmentum Hesiodi (frg. 34 Kinkel):

> *Τηλεμάχῳ δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐύζωνος Πολυκάστη,*
> *Νέστορος ὁπλοτάτη κούρη Νηληιάδαο,*
> *Περσέπολιν μιχθεῖσα διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην*

Hoc Kirchhoffio pertinere videtur ad γ 464 (Telemachum a Polycasta lavatum) quae pars cum debeatur diasceuastae, non ipsi Telemachiae auctori, qui versus laudatos panxit, is iudice Kirchhoffio eam Odysseae formam novit quam diasceuasta constituit. Quodsi id fragmentum ad Eoas pertineat — unam autem ex Eois de erroribus Ulixis prorsus eodem modo quo nostram Odysseam egisse probat K. pg. 320 — cum in iis urbis Cyrenae Ol. XXXVIII conditae fabulae respiciantur, inde sequi dicit ante Ol. L nostram Odysseam extitisse; sin potius ad Catalogos referendum sit, cum etiam Catalogi propter Ius fabulam ea forma narratam quae post Aegyptum a Psammeticho Graecis apertam nata est, diu post XXX Ol. confecti esse ei videantur, utrimque idem fere tempus constitui opinatur.

Alter terminus efficitur considerato carmine τῶν Νόστων, quod C. O. Mueller circa XX Ol. compositum esse dicit propter Colophonis condendae in eo occurrentes significationes. Hoc carmen secundum Procli argumentum quaedam ex nostrae Odysseae libris γ δ repetit, ut mentionem V navium Menelai (γ 299) et genus maternum Megapenthis Menelai filii (δ init.), quae non ex ipsa fabula tamquam communi et Nostorum et Telemachiae fonte manasse censenda sunt; continebat etiam — quod magis ex Eustathio ad Od. p. 1796 ed. Rom. apparet quam ex Proclo, quem Kirchhoff putat uno momento relicto ceterorum secundum suum propositum ordinem mutasse 1) — continebat igitur illius indicio hoc carmen etiam νόστον Ulixis et νέκυιαν, in qua de Tantalo quaedam commemorarentur in imitationem eius partis ex libro λ quam Kirchhoff diasceuastae attribuit. Huius igitur opus, id est nostram Odysseam, tum cum Nostorum carmen caneretur cognitam dicit fuisse; nec Kirchhoff in eo offendit quod, probata Muelleri sententia, multum recedit terminus priore loco repertus. (pg. 339). Cum tamen Eugammonis qui dicitur Telegonia, ab Eusebio LIIII Olympiadi adscripta, secundum Procli argumentum non nostram Odysseam sed priorem illam recensionem continuasse ei videatur, hanc circa L Olympiadem iuxta illam in ore hominum censet fuisse.

Tertium terminum Kirchhoff statuit observando libros κ, μ nonnulla momenta imitatione repetere ex Argonautarum fabula: Circen quasi alteram Medeam, Planctas (μ 55), Laestrygones, fontem Artaciam apud Cyzicum: quae ipso iudice illa fabula iis locis collocata demum narratione accipere potuit Cum autem apud Eusebium Cyzicus condita et Ol. IV et Ol. XXIV adscribatur, Kirchhoff illud tamquam coeptae hoc ut stabilitae coloniae significationem accipiens, illam Argonautarum fabulae formam Ol. XXIV adscribit, quodque inde expressum

1) Quod Eustath. pg. 1796 ex Nostis memorat, id Proclus Telegoniae carmini tribuit; illi potius fidem habendam censet Kirchhoff pg. 337.

est carmen non multo ante Ol. XXX in Odysseam illatum esse autumat. Itaque hic absolutae Odysseae nostrae terminus cum primo fere consentit.

Verum enimvero hae omnes definitiones temporum ex Eois aut Catalogis, ex Nostis, ex Argonauticarum fabula petitae, infirmissimo fundamento nituntur, siquidem ex carminibus parum notis et multo magis fortasse quam Odyssea nostra in singulis partibus temporis spatio differentibus statuere de tempore bene noti carminis mirum videri potest. Deinde singula quae protulit Kirchhoff, aut aliter explicanda sunt aut tamquam minus recte statuta refelli omnino possunt.

Sic quod in libro γ de Telemacho a Polycasta lavato narratur, is narrationi non inde ab origine infuisse videtur locus, quo rerum ordo interrumpatur. Nam γ 415 Telemachus iuxta Nestorem considit; sacrificium Minervae paratur et praesentibus Nestoris familiaribus absolvitur, sed sequentis cenae descriptioni moleste interveniunt illi versus de Telemacho lavato, cum post γ 463 ὠπτῶν cett. continuo sequi debeant γ 470 cett. οἵ δ' ἐπεὶ ὤπτησαν cett. Itaque id affictum videri potest quo notae inter Telemachum filiamque Nestoris necessitudinis significatio exstaret eorum nominibus simul memoratis; huius vero necessitudinis notitia et in Homero et in Hesiodo referenda ad gentium traditionem aliquam potius videtur 1), nec intellegi potest poesin genealogicam minime nobili quodam loco Homerico usam esse ad novam excogitandam genealogiam 2) Ceterum ne hoc quidem probari potest, temporis definitionem ad unam Eoarum partem pertinentem in totum ambitum illius carminis extendi a Kirchhoffio, quasi Eoae unum essent et simplex Contra quem recte observatum est alias partes Hesiodeae

---

1) cf. Suidas s. v. *Ἀνδροκίδης Ἀθηναῖος ῥήτωρ . . . υἱὸς Λεωγόρου, ἀπόγονος Τηλεμάχου Ὀδυσσέως καὶ Ναυσικάας, ὡς φησιν Ἑλλάνικος* cf. Phot. Cod. 261 pg. 488 (Bekker) Plut. Alcib. 21 Aristot. ap. Eusth. pg. 1796 ed. R. Pro Nausicaa alia genealogia fortasse Nestoris filiam memoravit.

2) cf. Steinthal, Ueber Homer etc. pg. 35 (Zeitschr. f. Spr. u. Völkerpsych. 1869. VII.)

poesis ignorare nostram Odysseam. Ut Calypso Hesiodus Theogon. 359 Oceani filiam facit; eius filios ex Ulixe Nausithoum Nausinoumque vocat (ibid. 1017), cum ζ 7 et alibi pater Alcinoi Nausithous appellatur. Quos si locos cognovisset in ficta nec gentium historiae inhaerenti genealogia nominum confusionem evitasset Theogoniae auctor. De alio autem loco pluribus disputandum est.

Ad η 54 Schol. BPQT annotant: „Ἡσίοδος ἀδελφὴν Ἀλκινόου τὴν Ἀρήτην ὑπέλαβεν" qua re probari Kirchhoff dicit Hesiodum versus 54, 55 tantum novisse, sequentem autem genealogiam, qua Arete consobrina Alcinoi dicitur, ut ab eo non *lectam*, interpolationem esse post diaseuastae aetatem illatam; qua in re consentientem habet Wilamowitzium pg. 169 n. 6. Sed diligentius consideranti apparet eum locum (η 55—68) arte cohaerere cum sequentibus, quia ex genealogia explicatur dignitatis reginae fastigium quod ipsum quidem movere Ulixem debet ut Aretae imprimis se applicet. Cum igitur versus sequentes ab η 55—68 separari nequeunt, tum ne una quidem cum iis eici possunt; nam si omitterentur vss. 55—77, nihil omnino Minerva diceret. Itaque cum interpolationis (qua probata etiam η 146 Ἀρήτη θύγατερ Ῥηξήνορος ἀντιθέοιο damnandus esset), ratio nulla appareat, discrepantia quae est inter 54, 55 et sequentem genealogiam potius sic explicanda esse videtur, ut per eam poetam putemus consulto contradixisse antiquiori traditioni quam primo loco (54, 55) posuit. Similis contradictionis exemplum praebent versus de Dioscuris λ 301 cett. cum Γ 243 sq. comparati (Γ 243 sq. τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα Ἐν Λακεδαίμονι αὖθι κτέ. λ 301. Τοὺς δ' ἄμφω ζώους κατέχει φυσίζοος αἶα), in quibus observanda verborum similitudo sedulo quaesita ut alter locus alterum in mentem vocaret, sed per addita verba in altero loco alterius sententia correcta. Quodsi haec explicatio probabilis videtur nec abhorrens ab indole Homericorum carminum, quae in defectu sacerdotalium librorum apud Graecos aliquatenus pro monumentis historicis valere debuerunt, animadvertendum est, hoc loco Hesiodeam

poesina ntiquiorem traditionem habere quam Homericam, nec igitur illam ab hac pendere.

His igitur duobus argumentis (quod nec locum in γ exemplo diximus fuisse Hesiodo et hic interdum antiquiorem quam Homerus traditionem secutus est) infringi videntur termini a Kirchhoffio ex Hesiodeis statuti ad Odysseae tempora definienda: nec firmiores sunt quos ex Nostis consideratis posuit. Quaerere omittimus utrum recte aestimaverit quae in Nostis narrata fuerint; num Eustathio fides habenda, Proclo deneganda sit, num vere ille aut qui primus fecit argumenta Procli putandus sit multa in carminum epici qui dicitur cycli argumentis mutavisse ut cum Iliade et Odyssea congruerent; haec omnia omittimus quia repertis nuper novis fragmentis Apollodoreae Bibliothecae novam his quaestionibus lucem affusum iri exspectamus. Sed quae illud τῶν Νόστων carmen communia habet cum γ. δ, ea in nostra Odyssea adeo obiter tractata sunt ut verius dicatur brevis illa in Odyssea nostra mentio respicere ampliorem in alio carmine exstantem narrationem. Postremo non magis quam Odysseam illud carmen unum et simplex fuisse ex argumentis Procli probari potest: non igitur temporis definitio quae uni cuidam parti convenit, in totum carmen extendi nec inde ad alterius carminis tempus statuendum transferri licet. Tertium terminum qui cum Cyzico condita cohaeret, facile sustulit Niese 1), ullam causam esse negans cur ita ut Kirchhoff voluit diversae inter se temporis relationes quas dedit Eusebius concilientur; quin imo eius fontium discrepantiam in duplici illa mentione animadvertendam esse, cum alii diceren: Ol. IV alii Ol. XXIV Cyzicum conditam esse: utrum autem probabilius sit cum diiudicari non possit, nihil inde effici ad aetatem librorum × μ finiendam.

Apparet igitur Kirchhoffii temporum definitiones non valere; quae minime confirmantur eo, quod Telegonia, quam Ol. CIII Eusebius adscripsit, vetustiorem Odysseae formam continuasse

---

1) Entwickelung der Hom. Poesie. pg. 182 sqq.

dicit. Quod quamquam Kirchhoff non satis probasse videtur, tamen equidem eo usque progredior ut dubitem utrum omnino ullam certam Odysseae formam continuaverit Telegonia; quae, si non, ut Odyssea ipsa, popularibus narrationibus niteretur sed quacumque forma absolutam Odysseam continuaret, non tam miris modis in rebus novis narrandis recessisset ab indole et exemplo cogniti carminis. Idem etiam de reliquis epici cycli carminibus cum Iliade et Odyssea comparatis observandum est; nec fortasse ad aliam sententiam deducimur examinatis Graecae artis antiquissimis monumentis, vasa dico rubro picta saec. VI a. Chr. n.: quam rem pluribus persequi nec peritia mea nec fines mihi propositi sinunt.

. Sed enim aliud est observationum genus, quo Kirchhoffii acumen maxime splendet, ad quas iam transeamus. Primo excursu agit de loco α 269—302: exponens deficientem sententiarum nexum in consiliis Minervae suadentis Telemacho: 1) ut contione convocata absterreat a proposito procos, matremque parentibus suis remittat; deinde, non addito „quod si minus processerit" pergit hortari: 2) ut nave instructa iter faciat Pylum et Spartam ad indagandum num vivat Ulixes et ubi versetur; quem si mortuum esse acceperit, domum redux iusta ei peragat matremque collocet. Postremo omni deficiente nexu ita Minerva concludit: vi aut dolo procos interficiendos curet Telemachus, Orestae secutus exemplum. Hic cum singula consilia bene se habent, vitium nascitur ex eorum coniunctione; quae unde nata sit, quaerendum. In proximo libro (β) Telemachus contione convocata de procorum iniuriis queritur, Ithacensium auxilium implorans; cui respondens Antinous suadet ut matrem a se dimittat (β 113 sq.) Quo consilio repudiato Telemachus deos ultores procis minatur, nisi ab iniuriis desistant; eius verba augurio firmantur, quod interpretantem Halithersen reprehendit Eurymachus Antinoique consilium iterat (β 195). Rogans deinde Telemachus ut navem sibi instruant, qua profectus de patris sorte certior fiat antequam in matre collocanda procis morigeretur, ne hoc quidem impetrat.

Paullo post domi suae eorundem petulantia exacerbatus perniciem iis minatur (β 316). In hoc igitur libro omnia recte et ordine procedunt et facta narrata ita sese excipiunt ut sequens quodque ex praegresso gignatur; ipsam quam dicunt veritatem psychologicam poeta et sensit et expressit. Non autem credibile est eundem, hanc scenam praeparaturum, satis habuisse quasi excerptum aliquod ex suis ipsius versibus conficere, in quo nullus progressus actionis sive potius ipsa cumulatione eorum, quae alibi (in β) rite distincta sunt, ne sensus quidem idoneus appareat. Accedit quod locus in α consistit ex versibus partem etiam in β obviis—hi autem in α minus apte adhibiti sunt; ut vs. β 196 *οἳ δὲ γάμον τεύξουσι*, sine ulla dubitatione de parentibus Penelopae dictus; contra iterato versu in α 277 ambiguum relinquitur utrum illi significentur an qui vs. 274 commemorantur proci — partim ex versibus vitiose aut subobscure factis, velut α 273 *μῦθον πέφραδε πᾶσι, θεοὶ δ' ἐπὶ μάρτυροι ἔστων* vocabula ultima male reddunt verba, quae in β dicit Telemachus post augurium visum: β 20 *ἤδη γὰρ τὰ ἴσασι θεοὶ καὶ πάντες Ἀχαιοί* aut β 143 *ἐγὼ δὲ θεοὺς ἐπιβώσομαι* etc. Notandum porro α 279 *σοὶ δ' αὐτῷ* male adhibitum quasi antecedentia alteri dicta essent; α 288 optativus modus in *τλαίης* usurpatus iuxta sequentes imperativi modi formas *χεῦαι, κτερεΐξαι, δοῦναι* (291 sq.), cum concinnius loco paralello in β iunguntur futura cum illa forma optativi.

Quodsi et rebus narratis et versibus adhibitis scena in β summae est poeticae virtutis, locus autem in α vitiatam cumulatione versuum, male aliunde petitorum, praebet sententiam, hi loci nullo modo possunt uni eidemque deberi poetae; sed composita iam illa scena locus in α tanquam eius praeparatio facta est; cuiusmodi supra (pg. 21) plures indicavimus locos.

Idem valere de alio loco α 374—80 apparet collato β 139—145; grammatica enim est illic offensio quod in α sequitur imperativus *ἀλεγύνετε* (374) post infinitivum *ἐξιέναι μεγάρων* et quod versu *ὑμέτερος δ' εἰ μὲν θυμὸς νεμεσίζεται αὐτῶν*

(β 138) in α deficiente, desideratur id cui opponatur in α: εἰ δ' ὑμῖν δοκέει τόδε λωΐτερον καὶ ἄμεινον κτλ. (α 376 = β 141), logica autem quod ineptum est Telemachum iam nunc proferre ea quae postea prolaturus sit. Ambos locos in α qui composuit libri β versibus usus est, non intellecto nexu rerum qualem ibi illi versus efficiunt, neque igitur eidem nec similia inter se ingenia hunc et illum composuerunt; sed is qui β fecit inventor i. e. poeta dicendus est, qui praeparationem in α fecit alienorum carminum dispositor; quem Germani „Bearbeiter" nos Latine aptioris ignorantia diasceuastam vocamus; mutato quidem aliquatenus sensu qui apud antiquos grammaticos illi vocabulo proprius est (Lehrs ed. 2 pg. 334). Iam cum hoc loco, ceterae libri α partes (excepto, ut Kirchhoff opinatur, initio α 1—88) artissime cohaerent; quia non alia de causa quam ut hoc Telemacho det consilium Minerva α 88 se Ithacam adituram dicit; itemque Telemachi verbis in altero loco sequentia procorum verba respondent. Et vitia quae ambobus locis notavimus, momenta aliunde petita nec bene perspecta, formulae quae dicuntur epicae nimis frequenter adhibitae, in omni reliquo libro inde ab α 88 recurrunt; quare hanc omnem partem Kirchhoff tribuit diasceuastae, cuius rationem hoc libro perspectam aliis in partibus (δ fin, ε, ο in.) deprehendens, has omnes partes eidem adscripsit.

Haec differentia constituta inter unum pluresve poetas et diasceuastam totius Odysseae, quod ipse Kirchhoff fundamentum ceterarum suarum investigationum fuisse dicit, probata est a Ribbeckio (Jahn's Jahrb. 79 pg. 157 seqq.) et Hartelio (Zeitschr. f. Oestr. Gymn. XV, XVI); a compluribus vero impugnata est, qui aut quae ille reprehenderat in libro α defendere conarentur, aut ad solitum remedium, interpolatores culpandos, confugerent. Hac via longissime processit *H. Duentzer* (Hom. Abh. pg. 429: „die Composition des 1sten Buches der Od."; cf. etiam: „Kirchhoff, Köchly und die Odyssee" pg. 7) qui ex libro α plus dimidio reiciendum putat; in loco a Kirchhoffio ractato vss. 279—292 (σοὶ δ' αὐτῷ usque ad verba καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι) solos probans, ceteros interpolatori tribuit; quem

sequitur Scotland (Philol. XLVI pg. 926 cett.). At eiecto consilio de interficiendis procis et mentione Orestae, nimis abrupte post consilium datum abituram se dicit Minerva; id est, nullus est transitus inter α 292 et α 303. Neque ita explicatur quo modo intellegi possit, quod in β aliis omnibus remediis contra procorum insolentiam frustra temptatis Telemachus tamquam ultimum petat, id in α ut consilium ei a Minerva datum poni.

Chr. Heimreich in libello „die Telemachie und der jungere Nostos" (Flensburg 1871) quem hac in re sequitur Niese l.l. pg. 148 n. 1 non assentitur Kirchhoffio priorem locum in α petitum esse ex β,' quia pars eius — consilium de interficiendis procis α 294 cett. — non occurrat in β. At si non ipsa verba, sententia quidem certe peti potuit ex locis quales sunt β 316

πειρήσω ὥς κ' ὔμμι κακὰς ἐπὶ κῆρας ἰήλω
Ἠὲ Πύλονδ' ἐλθὼν ἢ αὐτοῦ τῷ δ' ἐνὶ δήμῳ 1)

vel γ 216

Τίς οἶδ' εἴ κέ ποτέ σφι βίας ἀποτίσεαι ἐλθών
Ἦ σύγε μοῦνος ἐὼν ἠὲ καὶ σύμπαντες Ἀχαιοί 2)

Quibus verbis Nestor respondet Telemacho optanti: (γ 205) εἰ γὰρ ἐμοὶ (ut Orestae) τοσσήνδε θεοὶ δύναμιν περιθεῖεν Τίσασθαι μνηστῆρας ὑπερβασίης ἀλεγεινῆς.

Versus autem ipsi recurrunt λ 119 sqq.; quamquam eos inde petitos esse non constat. Ceterum Heimreich (ut Bergk in Hist. Litt. I 633 sqq.) uno impetu totum paene locum tollens relinquit tantum α 295 sqq.; efficitque ut nihil aliud suadeat Minerva Telemacho nisi ut procos interficiat. En dignum tali vindice consilium! Sed porro etiam α 90—95 (quibus versibus Minerva suum ostendit propositum) ei damnandi sunt; nec hoc satis est; nam in β 260—66 pro καὶ μ' ἐν νηὶ κέλευσας ἐπ' ἠεροειδέα πόντον Νόστον πευσόμενον... Ἔρχεσθαι primitus aliud quid dictum fuisse deinde id mutatum esse dicit,

1) Idem sentit Kammer, Einheit der Od. pg. 281.

2) Ita pro ἀποτίσεται et ὅγε, iure ut videtur, legit Zenodotus (Schol. H. ad γ 216 EMQ ad γ 217); sed locus difficultatibus non caret.

ut cum interpolato loco in α congrueret. Omnem reliquam partem libri α inde a versu 325 (descensum Penelopae, procorum et Telemachi altercationem) spuriam esse dicit; quam sententiam secutus est Meister (Philol. VIII pg. 1 etc.) Nec vero ostendit quibus rebus spuriae partes differrent a genuinis nec refellit Kirchhoffii argumentationem; qua facile superatur ipsius ratio, quae nec simplex est nec probabilis.

Non magis illa simplex dici potest quam secutus est *E. Kammer* in libro suo „die Einheit der Odyssee" (1873), qui posthac fusius nobis tractandus est. Is igitur prolixa disputatione (pg. 212—289), in qua plus aliquanto periodorum quam sententiarum inesse dolemus, librum α ad mentem suam disponere et Kirchhoffium redarguere studet, nonnulla antea questus de huius inscitia in poesi aestimanda et miratus socordiam diasceuastae Kirchhoffiani, sententiam poetae pessumdantis dum tamen bonos versus pangat (pg. 267 cett., 271). Hoc quo spectet non intellego: nam hos omnes versus a diasceuasta aliunde petitos esse ne ipse quidem Kammer negabit. Quod vero attinet ad poesin recte aestimandam, paucis eius interpretationibus relatis ostendamus quo pacto apud Kammerum concinant iudicia mentis cum poetico quo gloriatur sensu. Ita α 83 *εἰ μὲν δὴ νῦν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσι ... Ἑρμείαν μὲν ἔπειτα ... νῆσον ἐς Ὠγυγίην ὀτρύνομεν* vertit (pg. 231): „So können wir den Hermes *hernach* entsenden" (quasi esset *ἔπειτα* pro *καὶ ὕστερον*.) quamquam sequitur: *ὄφρα τάχιστα Νύμφῃ εὐπλοκάμῳ εἰπῇ* cett. α 273 *μῦθον πέφραδε πᾶσι, θεοὶ δ' ἐπιμάρτυροι ἔστων*: „die Götter rufe dabei als Zeugen an *für die Unbill, die du erleidest*" (pg. 256) quae suppletio potius quam versio dicenda est. Non felicius est eiusdem viri docti iudicium de loco α 365 sq. *μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα* = ϑ 768, σ 399 *πάντες δ' ἠρήσαντο παραὶ λεχέεσσι κλιθῆναι* = σ 213.
Hi versus alibi aptius ponuntur: posteriori in libro σ antecedit:

τῶν δ' αὐτοῦ λύτο γοῦνατ', ἔρῳ δ' ἀρὰ θυμὸν ἔθελχθεν.
(i. e. procorum)

Quo cum sequenti coniuncto significatur animorum perturbatio quam efficit eximia pulcritudo Penelopae ad temptandos procos profectae; nihil autem ibi de *clamore* procorum dicitur 1). Contra in α Penelope iam rediit; proci magnis clamoribus suam lasciviam ostendunt, cum nihil tale hoc loco quaeratur. Ecce novum exemplum duorum momentorum (μνηστῆρες δ'ὁμάδησαν et πάντες δ'ἠρήσαντο) alibi separatim occurrentium in α coniunctorum non sine vitio aliquo; quod Kirchhoffii aliorumque iudicio improbabatur; quid autem de his sensus Kammeri protulit? „wie schön ist nun wieder der Contrast, oben die klagende Frau, unten die wild bewegten Jünglinge, die ohne Gefühl für das Weh der Königin nur die Zeit herbesehnen, in der einer von ihnen der beglückte sein wird"! (pg. 149). Qualis mihi interpretatio magis Vossii alicuius Idylliis vel Goetheiano carmini notissimo convenire videtur quam Homericis carminibus. Neque vero difficultatibus tollendis tanta facilitas sufficit; nam haec addit Kammer: post α 278 (primum consilium Minervae) putandum versum unum aut plures perisse, quibus olim transitus factus sit ad sequens consilium; versum 279 (σοὶ δ'αὐτῷ πυκινῶς ὑποθήσομαι) interpolationem esse post nexum illum amissum illatam; ceterum et versum 292 (πολλὰ μάλ', ὅσσα ἔοικε καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι) et totum alterum locum α Kirchhoffio notatum eiciendos esse; quo facto omnia iam bene cohaerere. Contra Kirchhoffii autem sententiam hoc unum adducit, versum 286 (ὃς γὰρ δεύτατος ἦλθεν Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων) non occurere in β; non igitur totum locum inde sumptum esse. At tamen sententia occurrit γ 359 sq. ἀλλ' ἐς μὲν Μενέλαον .... Ἐλθεῖν· κεῖνος γὰρ νέον ἄλλοθεν εἰληλουθεν neque vero postulandum est ut omnes suos versus diasceuastam aliunde sumpsisse ostendamus; nec Kirchhoff aut alius quisquam negat etiam antiquissimae originis versus inveniri in α. Non igitur

1) Nam verbo ἀράομαι non necessario *loqu endi* notionem subesse patet ex locis quales sunt α 164 Δ 143.

Kammer sustulit aut elevavit Kirchhoffii de sententiis male coniunctis criminationes, nisi forte credibiliora ipse secutus videbitur facta omnino incognita et minime simplices corruptelas ad explicandum locum priorem statuens. Alterum locum eiciendum non esse ostendunt — quod non animadvertit Kammer pg 274 — sequentia: *ὣς ἔφαθ', οἱ δ'ἄρα πάντες ὁδὰξ ἐν χείλεσι φῦντες Τηλέμαχον θαύμαζον ὃ θαρσαλέως ἀγόρευεν* (381 sq = *σ* 410 sq. *ν* 268 sq.); quibus certe probatur Telemachum plura dixisse quam versus 372 sq., per quos Kammer Telemachi orationem absolutam esse dicit. Qui cum pg. 275 n. ridet verba Hartelii (Z. f. Oestr. Gymn. XV pg. 486) „die Verse athetieren, hiesse uns sehr werthvoller Indicien zur Beurtheilung des Ordners berauben," animadvertendum est haec quidem verba principii ut aiunt petitionem habere sed tamen rationem hanc, quam secutus est Kirchhoff, qua plures simul difficultates referuntur ad unam eandemque originem et qui est inter eas nexus explicatur, veriorem esse habendam quam damnare versus aut ignotos auctores (interpolatores) culpantem alios eicere, in aliis explicandis nec simplicia nec comperta, hiatus, suturas, causari. Nam hac ratione id quod caput est non curatur: nexus qui est inter singulas difficultates.

Non multo pluris momenti sunt quae contra Kirchhoffium adduxit *C. Sittl*, Wiederholungen in der Odyssee (1882) pg. 74 cett. Qui cum concedat Telemachiam non ab initio vetustissimi carminis partem fuisse — quod appareat et ex sutura in *ε* in., alterum deorum concilium proponenti idque nec cum priore congruens nec propriis expressum versibus; deinde ex eo, quod iter Telemachi procedente narratione ignoratur: postremo quod in ea prae vetere Odyssea domestici cultus res recentiora tempora denotant — Kirchhoffii observationibus maxima parte probatis tamen eius de diasceuasta sententiam improbat; ac primum quidem quia non fuerit Telemachia carmen peculiare quod extrinsecus allatum diasceuasta, quem sibi finxit Kirchhoff, coniungendum duceret

cum antiquiore de Ulixis reditu carmine. Id vero nihil contra Kirchhoffium: nam quacumque materia diasceuasta usus est, sive absolutis carminibus, sive partibus aliorum de eadem fabula carminum cum principe carmine iungendis, sive ipsius principis carminis partibus iterandis vel refingendis, nihilominus eius opera in constituenda Odyssea luculenter apparet. Deinde intellegi non posse dicit: „dass alle Rhapsoden die „verzerrte" „verkehrte" Darstellung eines „mittelmässigen Kopfes" so ohne weiteres annahmen. Kirchhoff wird schwerlich jemand überzeugen können, dass der Sinn für Poesie bei den Griechen um die 30 Ol. auf so niedriger stufe gestanden sei.' Contra haec monere liceat nos de rhapsodorum rationibus circa scriptum textum Homericorum carminum tunc certe temporis, quo Kirchhoff scriptam Odysseam nostram facit, inter Ol. XXX et L nihil compertum habere: probabile videtur eos praecipua momenta fabulae quae i>mdiu certa forma ferrentur ita cecinisse ut apud Homerum ipsum faciunt Phemius et Demodocus; sin potius continua recitatione continuitatem etiam narrationis quaesiverunt — quam rem Solonis quae fertur lex de ἐξ ὑποβολῆς recitando poscere videtur — hanc continuitatem ipsa fabula ex omni parte memoria cognita suppeditabat; neque in eo scriptum textum sequi debuerunt. Nam absurdum est putare rhapsodum aliquem alteri succedentem usquam artem suam ostendisse recitando exempli gratia τῷ καταλόγῳ τῶν νεῶν. Haud scio an haec probabiliora existimentur quam ea quae dicit Sittl. pg. 171 „(die Rhapsoden) gingen bei längerem Vortrage eklektisch zu Werke, indem sie theils unbewusst das richtige Gefühl hatten, dass die erweiterte Odyssee keine rechte innere Einheit mehr besass, theils" cett. Ceterum iam supra dictum est artis monumenta, carmina epica et alia, seculi VI, cum Homerica memorant, haud raro a nostra Iliade et Odyssea differre. Nihil igitur ad ingenium Graecorum eius temporis aestimandum valet iudicium de carminibus scripto mandatis, quae cessantibus demum rhapsodis tali forma in notitiam venire debuerunt; sed

tum de unitate carminum aut de persona poetae dubitare non soliti prae plurimis splendentibus maculas paucas excusabant. His igitur frustra Kirchhoffio oblocutus, Sittl, neglegentius relatis aliorum (ut Steinthalii pg. 76, Kammeri pg. 97) sententiis, G. Hermanni (apud Friedländer, Anal. Hom. pg. 479) opinionem sequitur, eicientis et α 292 (πολλὰ μάλ' ... δοῦναι) et a 275—78 ubi narratur de dimittenda matre consilium. Ita tamen v 279 (σοὶ δ'αὐτῷ etc.) non aptius versui 274 (μνηστῆρας μὲν etc.) succedit quam nunc accidit; nihilque proficit Sittl verbis σοὶ δ'αὐτῷ mutatis in αὐτάρ τοι (coll. Φ 293); neque igitur Hermanni athetesis tollit offensionem Kirchhoffii. Kammerum Sittl sequitur in eiciendo altero loco; quem a rhapsodis adiectum esse perhibet quotiens a recitando libro α statim transiren' ad ε, ut quae in narratione intervenissent breviter significarent. Quae mihi transeundi ratio videtur mirabilis; quidni potius statim ab ε inciperent quam praemitterent partem nihil ad propositum pertinentem? Quod vero pg. 79 dicit, totam Telemachiam deterioris generis esse poesin, id ut probaret refellere debuerat ea quae de libris β et α comparatis Kirchhoff praeclare ostendit; quod cum omiserit non eum existimo cuiquam videri posse profligasse summi viri opinionem.

Kirchhoffii sententiam parum validis argumentis ab iis quos nominavimus impugnatam inmutavit aliquatenus et auxit *U. de Wilamowitz Moellendorff* scriptor ingeniosus in libro praeclaro cui titulus „Hom. Untersuchungen" (1884) pg. 6 cett. Is totum librum α a diasceuasta confectum esse dicit tamquam sequentium expositionem et sententiis et versibus plerisque ex antiquioribus partibus sumptis, his male interdum adhibitis, illis non sine vitio coniunctis. Initium (vrs 1—88) a reliquis separandum non esse ostendunt illo iudice quaedam sententiae quae nexum inter has duas partes constituant. Ita vrs. 11 (ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ... Οἶκοι ἔσαν cett.) admonet de casibus reliquorum heroum a Troia redeuntium qui progrediente Telemachia narrantur; α 35 Iupiter facinus Orestae

memorat, quo exemplo Minerva α 396 incitat Telemachum. Praeterea quae Kirchhoff in altera parte reprehendit, eadem occurrunt in priore vitia: ut maxime Willamowitzium secuti breviter ostendemus, numeris additis singula quae reprehensione digna videntur afferentes:

1. Improbanda obscuritas quae est in periodo α 16—19 (*ἀλλ' ὅτε δὴ ἔτος ἦλθεν .... θεοὶ δ' ἐλέαιρον ἅπαντες*); quae haud scio an sanam interpretationem numquam admissura sint.

2. vrs. 23. Distinctio locorum ubi habitant Aethiopes hoc loco addita [cf ε 282] inepte: nam eo fit, ut quaeri debeat apud utros Neptunus moretur.

3. vrs. 29 cett. *μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Αἰγίσθοιο* cett. Haec male repetita ex δ 183 cett. quo loco dum Menelaus Helena Telemachus memoriam Troiani belli deflent, nec Nestoris f. Pisistratus lacrimis abstinuisse dicitur; *μνήσατο γαρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο*, fratris sui a Memnone interfecti. Imitationem in libro α arguit epitheton *ἀμύμων* adiunctum nomini sceleratissimi viri 1). Ceterum de Mercurio ad Aegisthum misso nihil alibi legitur.

4. Delectari apparet diasceuastam verborum lusu ut:

α 48 *δαΐφρονι δαίεται ἦτορ* α 62 *Ὀδυσσεὺς — ὠδύσαο Ζεῦ;* (cf. τ 407) δ 754 *κάκου κεκακωμένον* τ 565 sqq. *ἐλέφαντος — ἐλεφαίρονται* et *κεράων — κραίνουσι* ν 36 *λυσιμελής — λύων μελεδήματα θυμοῦ* φ 301 *φρεσὶ ἦσι ἀασθείς — ἣν ἀάτην ὀχέων ἀεσίφρονι θυμῷ* ω 465 *Ἐυπειθεῖ — πείθοντ'*.

quae non comparanda sunt cum iis, quae in antiquioribus partibus ex narratione ipsa provenientia occurrunt: ut *Οὖτις*, *Ἶρος*, *Ἶρος ἄιρος*, *Κακοΐλιον* sim.

5. vs. 51. Figura epanalepsis quae dicitur hoc loco, ut supra (n°. 2) inepta.

---

1) Locus quoque λ 236 *Σαλμωνῆος ἀμύμονος* inter recentissimas Odysseae partes habetur.

6. vs 52 et δ 245. Calypso filia Atlantis vocatur, de quo nihil in ε. Hesiodus (Theog. 359) Oceani filiam eam facit. Similiter vrs. 71 genus Cyclopis refertur, sumpto Phorcynis nomine ex libro ν.

7. L. L Atlas celebratur *ὅς τε θαλάσσης Πάσης βένθεα οἶδεν* quam mentionem nolumus cum Wilamowitzio (pg. 23) ex Herculis fabulae memoria repetere, qui auxilio Atlantis ad Hesperidas profectus mare navigantibus patefecerit. Nam ea explicatio nimis quaesita; cum δ 385 eadem recte de Proteo, deo marino, dicantur (additis: *Ποσειδάωνος ὑποδμώς*) probabilius videtur hunc quoque versum ex δ male transtulisse diasceuastam.

8. vrs. 57: *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἰέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι Ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται.* Haec cum obscuritate et exaggeratione aliqua imitantur η 224 *Ἰδόντα με καὶ λίποι αἰὼν Κτήσιν ἐμὴν, δμῶάς τε καὶ ὑψερεφὲς μέγα δῶμα.*

9. vrs. 65 *πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;* male sumptus ex K 242 ubi *ἔπειτα* recte dicitur post: *εἰ μὲν δὴ ἕταρόν με κελεύετε αὐτὸν ἑλέσθαι.*

10. Ornatus Minervae (vs. 96 cett.) repetitus ex Mercurii ornatu (ε 44, Ω 340) cui uni *πέδιλα* illa conveniunt. Omnino in libro α permagnus est numerus formularum quae vocantur epicarum e. g. vss. 136—150.

11. vrs. 105. Fieri potest ut nomen *Μέντης* ex imitatione nominis *Μέντωρ* ortum sit; ut aliqua certe necessitudo est inter nomina *Εὐρυμέδουσα* (γ 8), *Εὐρυνομη*, *Εὐρυκλεῖα Μελάνθιος Μελανθώ* cett. At huius versus exemplum potius videtur P 73 *ἀνέρι εἰσάμενος Κικόνων ἡγήτορι Μέντῃ.*

12. vs. 153 *κῆρυξ δ' ἐν χερσὶν κίθαριν κεραλλέα θῆκεν Φημίῳ·* haec sententia translata ex ϑ 261, ubi *caeco* vati Demodoco cithara affertur; in α ea ratio deficit, cum in χ per caedem per tumultum Phemius citharam suam retineat (χ 332 *ἔστη δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων φόρμιγγα λιγεῖαν*).

13. α 161 sq. *ἀνέρος οὔ δή που λεῦκ' ὀστέα πύθεται*

ὄμβρῳ Κείμεν' ἐπ' ἠπείρου, ἢ εἰν ἁλὶ κῦμα κυλίνδει sumi potuerunt ex ξ 133 cett :

Τοῦ δ'ἤδη μέλλουσι κύνες ταχέες τ'οἰωνοί
Ῥινὸν ἀπ' ὀστεόφιν ἐρύσαι, ψυχὴ δὲ λέλοιπεν.
Ἦ τόν γ'ἐν πόντῳ φάγον ἰχθύες ὀστέα δ'αὐτοῦ
Κεῖται ἐπ' ἠπείρου ψαμάθῳ εἰλυμένα πολλῇ.

cf. etiam sequentia α 166 νῦν δ' ὁ μὲν ὣς ἀπόλωλε cett. cum ξ 138 ὣς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλε cett. Versus quidem certe ex ξ translatos in α post videbimus (n°. 17)

14. vs. 184 cett. Urbs Temese (i. e. Tempsa urbs Bruttiae) memorata et mentio senis Laertae respiciunt narrationem libri α, τὸν Λαέρτου καὶ Ὀδυσσέως ἀναγνωρισμόν.

15. vs. 200 cett. αὐτὰρ νῦν τοι ἐγὼ μαντεύσομαι ex ο 172 sqq., quibus verbis utitur Helena *augurium* interpretans: ibi bene se habet quod additur: οὔτε τι μάντις ἐὼν οὔτ' οἰωνῶν σάφα εἰδώς

16. vs. 225. Nihil audiit Mentes sive Minerva de procis, cum tamen de Laerte omnia comperta habet. (vrs. 189 cett.)

17. vss. 237—241. Εἰ μετὰ οἷσ' ἑτάροισι δάμη Τρώων ἐνὶ δήμῳ
ἠὲ φίλων ἐν χερσίν, ἐπεὶ πόλεμον τολύπευσεν.
τῷ κέν οἱ τύμβον μὲν ἐποίησαν Παναχαιοί
ἠδέ κε καὶ ᾧ παιδὶ μέγα κλέος ἤρετ' ὀπίσσω κτέ.

ex ξ 367—71 sumpti sunt, nam ᾧ παιδὶ magis proprie dicit Eumaeus quam filius ipse. In ξ primus est versus (367): ὅττι μιν οὔτι μετὰ Τρώεσσι δάμασσαν· apparetque in utroque loco male intervenire versum: ἠὲ φίλων κτλ., petitum ex δ 490 ubi recte eo versu distinguuntur ab iis, qui in reditu perierant, ii quos domi suae mors oppressit, belli laboribus exanclatis.

18. vrs. 269. Ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο. Adnotat Wilamowitz p. 7 in libro β 329 sqq. per Ephyram Elidis urbem significari, ad quam Telemachus Pylum proficiscens adeat; de veneno autem acquirendo ibi non nisi cavillando

procos loqui. Id in α tamquam res ab Ulixe gesta ponitur; ibique ob additum nomen Ilus respicitur urbs Thesprotiae. Is Ilus, cui pater Mermerus, Iasonis et Medeae filius, ex Argonautarum fabula in hunc locum libri α translatus est (Wilamowitz p. 26); quem locum carmen quod vocatur Naupactia videtur ignorare, cum nullum filium Mermeri, quem iuvenem mortuum faciebat, agnoscat 1). Respicitur igitur h. l. Argonautarum fabula; quod alibi quoque fieri videbimus. Ceterum sententia tota formata ex ϑ 341—46 cf. etiam λ 498—503.

19. vss. 394 cett. *ἀλλ' ἦ τοι βασιλῆες ..... Πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, νέοι ἠδὲ παλαιοί* collati cum β 292 cett. *εἰσὶ δὲ νῆες Πολλαὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ νέαι ἠδὲ παλαιαί* aliisque locis, mirum in modum adhibiti videntur.

20. Post vs. 420 iusto citius absolvitur narratio, ita ut proci nulla facta libatione qualis occurrit in simili narratione libri ο domum abeant.

21. vs. 425. Locus ubi thalamus Telemachi est indicatur versu ex ξ 5 petito qui situm *τῆς αὐλῆς* Eumaei describit (*περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ*). Euryclia, quae in libro τ Ulixis nutrix dicitur, h. l. Telemachi quoque memoratur fuisse nutrix.

22. Postremo mire versus 437 translatus ex B 42. In libro α Telemachus *sedens* tunicam *exuit*; qui lapsus ortus est translatione versus quo describitur Agamemno cum *sedens* tunicam *induit*, mutato *ἔνδυνε* in *ἔκδυνε*. (B 42 *ἕζετο δ' ὀρθωθείς, μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα*).

Hisce XXII observationibus, quarum vim auget crebra versuum repetitio, adiuncto duorum testimonio locorum de quibus Kirchhoff egit, apparet libri α indolem a poesi primaria adeo discrepare ut rectius diasceuastae quam antiquo vati tribuatur. Ex omnibus autem CCCCXL versibus quibus consistit liber α *plures dimidio* alibi quoque inveniri ratio a me inita efficit. Qui quamquam

---

1) cf. Paus. II: 3:9 Proxenus *ἐν Ἠπειρωτικοῖς* Mermeri filium Irum nominat (Schol. *H T* ad α 259); Apollodorus Pheretem habet pro Mermero (ibid).

partim formularum quae dicuntur vicem obtinent neque etiam omnes aliunde sumpti esse demonstrari possunt, tantus tamen numerus aliquatenus in aestimanda indole poesis valere debet: nam eadem ratio obtinet in libri ω versibus (CCCX ex DXL), quae omnino dispar invenitur in antiquioribus partibus.

Omnia quae continet liber α facile inveniri potuerunt auctis et tanquam fundamento sumptis versibus quales sunt ξ 374 cett: *ὅτ' ἀγγελίη ποθὲν ἔλθῃ·*

ἀλλ' οἵ μὲν τὰ ἕκαστα παρήμενοι ἐξερέουσιν,
ἠμὲν οἳ ἄχνυνται δὴν οἰχομένοιο ἄνακτος
ἠδ' οἳ χαίρουσιν βίοτον νήποινον ἔδοντες.

Expositionem huic sententiae congruentem antiquitus revera exstitisse dicit Wilamowitz, quod nec sponte sua Telemachus egisse putandus sit quae in libro β egisse dicitur, et versus β 260 cett. (*κλῦθί μευ, ὃ χθιζὸς θεὸς ἤλυθες ἡμέτερον δῶ* cett.) praecedentem narrationem qualemcumque respiciant. Non enim concedendum esse Kirchhoffio affirmanti hanc partem a diasceuasta illatam, cum olim Telemachus Minervae ut familiae suae patronae supplicasset versu: *κλῦθί μευ αἰγιόχοιο Διὸς τέκος ἀτρυτώνη* vel simili pro eo qui nunc est β 262; quod non sit ex more diasceuastae pro minus bonis et communibus meliora reponere et exquisitiora. At enim non attendit Wilamowitz versus laudatos introducere partem multis ex indiciis diasceuastae tribuendam (β 267—285). 1) Deinde quam sibi fingit Wilamowitz rem, diasceuastam removisse genuinam expositionem, interposuisse suam suturam, ea prorsus incredibilis videtur. Postremo non facimus cum Wilamowitzio aliam quoque partem libri α (325—364 descensum Penelopae) diasceuastae tribuenti, tanquam imitationem illius partis libri ϑ ubi Ulixes ad lacrimas movetur cantu Demodoci, quemadmodum priore loco Penelopes animus cantu Phemii turbatus pingitur.

---

1) β 270 sq cf. γ 376 sq. — β 272 cf. ξ 491 — β 276 sq., sententiae morales quibus abundat disasceuasta; β 278 — 280 alia superiorum versuum 270—274 recensio.

At principia tantum inter se similia sunt: sed quae deinde secuntur prorsus in diversas partes abeunt, nec minus sunt elaborata in α quam in Φ et primariis versibus expressa. Accedit quod versu α 344 ἀνδρὸς τοῦ κλέος εὐρὺ ἄν Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος ips: diasceuasta alio loco usus est, nempe δ 726, 816, necessario paullum immutato: ἐσθλόν, τοῦ κλέος cett.: nam hunc versum in δ aliunde illatum esse evincit vox ἐσθλόν incommode repetita post antecedentia: ἢ πρὶν μὲν πόσιν ἐσθλόν cett. Itaque eam partem illi dare non possumus; quae tamen cum non nisi sutura, quae est vss. 336 sqq ἀλλ' ἐς οἶκον ἰοῦσα cett. ex Z illata, cum reliquis cohaereat et facile alibi velut in libro ρ suum locum habere potuerit, tota a diasceuasta aliunde huc transposita esse potest. Quod si nobis concesseris nihil est cur olim ante librum β quidquam praecessisse putemus; nam quod in β Telemachus de itinere sibi faciendo proponit, id propositum — ut docuit Kirchhoff — ex ipsa serie rerum ibi narratarum sequitur nec deus interfuerit necesse est.

Qui postremus de Odysseae compositione scripsit, O. Seeck, secundum peculiarem suam de ceteris opinionem, quam postea tractabimus, librum α cum β coniungere cogitur et a ratione Kirchhoffii recedere; sed cum redarguere supersederit eius argumenta, nequaquam eius sententiam sustulisse putandus est.

Longiores fuimus in referendis diiudicandisque Kirchhoffii de libro α observationibus quia his tamquam fundamento nititur eius doctrina de diasceuastae opera in compositione Odysseae conspicua et a poetarum labore separanda; quam rem mihi quidem prorsus, aliis ut Wilamowitzio et Seeckio aliquatenus, persuasit. Wilamowitzio assentimur diasceuastam proposuisse sibi ut rerum in Odyssea narrandarum efficeret praeparationem; quam ob rem omnes qui deinde partes suas agunt in sequentibus — Telemachum, Minervam, Laertem, Penelopem, Antinoum, Eurymachum, Eurycliam — cum Ulixis mentione coniunctos induxit. Quibus autem modis suum laborem perfecerit ex libri α compositione cognovimus: cum deinde in aliis partibus

ut in fine libri δ, initio librorum ε et ο, aliisque locis eandem omnino rationem inveniamus 1), uni eidemque homini, diasceuastae scilicet, has partes tribuere non dubitabimus.

Transimus ad secundum et tertium Kirchhoffii excursum, qui arte inter se cohaerent. In hoc agit de loco η 238 cett. Aretae roganti quis sit, Ulixes — ut putat Kirchhoff — aut nomen suum docere aut — ut τ 115 — silentium excusare debuit; hoc autem non narratur; illud vero si diceretur, pugnaret cum sequenti libri θ narratione, qua incognitus Ulixes inter Phaeaces moratur. Itaque aut versus aliquos excidisse, quibus Ulixis de suo nomine proferendo se excusaverit, aut aliam olim narrationem fuisse existimandum est. Hoc verius putat Kirchhoff examinato sequenti loco. Nam η 244—50 eadem continent quae η 251—58, quos versus idcirco Aristarchus damnavit tanquam ex fine libri μ interpolatos. E contrario Kirchhoff η 244—50 suturam esse putat, qua diasceuasta antiquissimum Νόστον cum alia Ulixeae fabulae narratione coniungere studuerit; olim autem post quaestionem Aretes re vera alio modo ac nunc narrationem progressam esse ita, ut statim Ulixes nomen suum casusque indicaret et in memorando Nausicaae auxilio orationem suam terminaret; quae via narrationis relinquenda fuerit, postquam nova parte extrinsecus adiuncta nominis professio differri debuerit. Quaenam autem nova illa pars fuerit indicatur excursu tertio, ubi de loco μ 374—90 agitur.

Ulixes narrans quomodo in Thrinacia socios suos a violandis Solis bobus dehortatus sit, quomodo, tandem omni cibo consumpto, ipso absente et consopito, auctore Eurylocho socii boves aggressi sint, deinde experrectus ipse, sacrificii odore animadverso, deorum in somno sibi dando fraudem questus sit — μ 374 cett. subito orationem vertit ad narrandum, quo pacto Sol certior factus adierit Iovem ad ultionem quaerendam; quam se rem compertam habere dicit Ulixes a Calypso cui

1) Id post multorum aliorum et Kirchhoffii curas probare necesse non videtur.

Mercurius rettulerit; — inde rursus flectitur ad exponendum quo modo ad socios ipse venerit et quae sequuntur. Qui ab Ulixe narrante subito interponitur locus μ 374 eum, ut narrationem divellentem Alexandrini critici interpolatum esse censuerunt, quod tamen iudicium probari nequit: nam quae sequitur tempestas praedici debuit Soli a Iove; et Solis querela minaeque praestantia sua minime interpolatorum ingenia sapiunt. Hoc igitur modo prior difficultas — narratio loco laudato interrupta — non tollitur; nascitur vero inde altera, quod Ulixes rem, quam novisse ipse non potuit, refert. Hanc ἀπορίαν quidem λύειν conantur versus μ 389 sq. *Ταῦτα δ'ἐγὼν ἤκουσα Καλυψόος ἠυκόμοιο· Ἡ δ' ἔφη Ἑρμείαο διακτόρου αὐτὴ ἀκοῦσαι.* Qui tamen a vero et genuino poeta profecti esse non possunt; is enim neque de fontibus unde suae personae scientiam suam hauriant statuere solet 1), neque vero ad fidem faciendam usus esset fictione cum sua ipsius narratione — in libro ε — non congruenti. Diasceuastae igitur hos versus tribuendos dicit Kirchhoff, quibus inserendis difficultatem a se perspectam id est a se genitam tolleret. Illum igitur culpandum esse, quod Ulixes sibi incognita refert; contra si in ea parte olim poetam ipsum locutum esse statuamus nec sibi alium per quem narraret substituisse, alteram difficultatem abesse, quoniam poetae omnia cognita sint; nec priorem amplius valere. Nam, ut vult Kirchhoff, qui suos ipse casus narrat, ordinem quo eos expertus est servare debet etiam in narrando; aut certe non ad secundum transire factum antequam in priore narrando ad finem quendam pervenerit; poetae vero ipsi omnia fingenti et narranti materiam ex omni parte sibi cognitam disponere licet ita ut menti eius facta sibi succedere videntur. Omnem igitur difficultatem inde ortam esse quod diasceuasta partem, olim tertia persona expressam, qua poeta ipse casus

1) Talis explicatio grammaticis potius scholiastisque convenit. Ut si quis roget unde κ 108 nomen fontis Artaciam norit Ulixes, Schol. H.Q.V. ad h. l. respondebit, *εἶπον δὲ τὸ ὄνομα παρὰ Κίρκης μαθόντες.* Nulla vero explicatio additur iis, quae Eumaeus in libro ο de sua pueritia narrat.

Ulixis narraverat, in primam personam mutatam cum ipsius Ulixis narratione coniunxerit.

Idem aliis quoque locis eundem commisisse dicit Kirchhoff: μ 339—365 (consilium Eurylochi et sacrificium), ϰ 275—307 (Mercurius se ostendit Ulixi), ϰ 210—43 (socii Ulixis ad Circem profecti ab ea transfigurantur), ϰ 105—30 (narratio de Laestrygonibus) ϰ 34—45 (sociorum colloquium de utre Aeoli): haec omnia si ab Ulixe ipso putanda sunt narrata esse nimis accurate per singula esse proposita Kirchhoffio videntur. Contra nihil tale offendere in ι: quod de Ciconibus et Lotophagis succincte referatur nec antea Cyclopis nomen in narrando adhibeatur quam Cyclopes ceteri auxilio occurrentes eo usi sunt 1). Ut igitur mutationis nullum vestigium appareat in ι — versus enim ι 54 sq. = Σ 533 sq. qui tertia persona positi sunt damnat Kirchhoff pp. 225 cett. — ita ne λ quidem, quod unum et simplex sit carmen, hac re a libro ι discrepare. Et nexus qui sunt inter libros ϰ et λ, μ et λ diasceuastae tribuendos esse, hoc modo docuit Kirchhoff. Prior nexus (a ϰ 482 ad λ 24) post ipsum librum λ factus est materia maxime inde sumpta: ut ϰ 517—37 ex λ 25—50 — quod arguit vox *κατάκειτ'* vel *κατέκειτ'* ϰ 532 male adhibita, recte autem posita λ 45 —; ϰ 496—500 ex δ 538, mutato *κλαῖον δ'ἐν ψαμάθοισι καθήμενος* in: *κλαῖον δ'ἐν λεχέεσσι καθήμενος* quod male convenit cum sequenti (ϰ 499 = δ 541) *αὐτὰρ ἐπεὶ κλαίων τε κυλινδόμενός τε κορέσθην*; ϰ 539 sq. = δ 389 sq.; ϰ 541—45 ex ε 228—32; nam praeter alia minus apte Circe *νύμφη* dicitur. Huius partis ut initium (ϰ 482 cett.) suturae speciem prae se fert, ita finis quoque, collatus cum initio libri λ (e. g. ϰ 570 = λ 5), neglegentiam diasceuastae arguit (Kirchhoff p. 224). Ad alterum nexum constituendum ille usus est episodio de Elpenore, ex antiquiore fortasse fonte in libros ϰ et λ illato; quo fit, ut Ulixes ad Circem redire debeat. Postquam igitur Kirchhoff

---

1) Schol. H.Q. ad ι 403 *ἐνταῦθα τὸ ὄνομα ἀπὸ τῶν εἰδότων ἀκούει ὁ Ὀδυσσεύς· ὅθεν πρότερον Κύκλωπα ὀνομάζων ὕστερον τοὔνομα λέγει.*

docuit non cohaerere λ cum κ et μ, nec magis quam ι ullum vestigium mutationis in tertiam personam ostendere, hunc dicit librum quomodocumque coniunctum cum ι referendum esse ad antiquum *Νόστον*, id est ad narrationem qua Ulixes post μ 251 quaestioni responderit Aretes. Libros autem κ et μ partes esse diversae narrationis olim tertia persona conceptae, quam ut cum *Νόστῳ* coniungeret, diasceuasta in primam personam converterit 1), quibusdam etiam in η l. c. mutatis. Ea narratio Kirchhoffio iudice peculiarem quoque rerum in Scheria gestarum fictionem continere debuit; ex qua a diasceuasta sumpta η 103—31 (hortus Alcinoi) et liber ϑ (Kirchhoff pg 207—11). In antiquiore *Νόστῳ* Ulixi ira Neptuni causa malorum fuisse Kirchhoffio videtur, quae in ι et λ apparet; in altera narratione — recentiore quem ille appellat *Νόστῳ* — accessisse Solis ira tanquam origo laborum.

Quaeramus iam, quid recentiores opinati sint de iis quae protulit Kirchhoff; quas opiniones ita per V capita disponemus ut tractetur I eius observatio de η 238 cett., II de μ 374 cett., III de ceteris locis in μ et κ et de κ cum μ iungendo, IV de λ ut ad antiquiorem *Νόστον* pertinenti, V de duplici Phaeacensium rerum fictione in nostra Odyssea occurrenti.

I. Primus Kirchhoffio oblocutus est Lehrs in libro de Aristarcho p. 438. Is Aristarchi opinionem de versibus η 251—58 interpolatis non probat, quia quod est v. 263 *ἣ καὶ νόος ἐτράπετ' αὐτῆς* intellegi nequeat eiectis vs. 255 sq. *ἣ μὲ λαβοῦσα Ἐνδυκέως ἐφίλει τε καὶ ἔτρεφεν ἠδὲ ἔφασκεν Θησέμεν ἀθάνατον καὶ ἀγήραον ἤματα πάντα*. Hoc quidem iure: sed quod ipse versus 254 finem, sequentis versus initium (*ἔνθα Καλυψὼ Ναίει ἐυπλόκαμος δεινὴ θεός*) damnat, mutato ibidem *ἣ μὲ* in *ἣ δέ*, ea re nihil proficit; nam ita *ἣ δέ* nimis remotum a nomine *Καλυψώ* (vs. 245), et obiectum (*με*) desideratur et finis libri μ arguit hos versus non esse

1) Ne cui illud de diasceuasta narrationem ex tertia in primam personam convertenti incredibile videatur, attendat id re vera factum esse multis locis Homericorum carminum ut κ 541—45 coll. cum ε 228—32.

mutandos. Idem quaestionem Aretes cum vertit: „Wer bist du, wo bist du her, dass du diese Kleider trägst?" non sustulit Kirchhoffii offensionem 1) nexum efficiens inter utramque partem quaestionis qui non inest verbis versus ipsius. Lehrsium sequitur Kammer p. 296; nihil de hoc loco habent Heinreich aut Sittl: Düntzer H. Abh. pg. 445 quaestionis Aretes priorem versum tamquam interpolatum eicit, mutat alterum in πῶς δὴ φῆς cett.; quam rationem pluribus refellere non opus est. Niese de Kirchhoffii offensione ipsa tacet; Wilamowitz, agnitis Kirchhoffii observationibus de Ulixis responso (p. 133), tamen cum Aristarcho facit. Huius et Seeckii (p. 161) rationes postea indicabimus.

II. De loco μ 374 cett. Heimreich p. 16 Kirchhoffii observationem probat; diasceuastam vero Kirchhoffianum cum nullo modo agnoscat, in versibus ταῦτα δ'ἐγὼν ἠκουσα cett. ut in omni narratione librorum μ et ϰ inde a Circes fabula, poetae quidem sed imitatoris minus perfectam videt artem. Attamen qui fieri potest ut qui tam praeclare cetera in ϰ et μ cecinerit, idem tam insulso additamento artem suam pessumdederit? cf. Bernhardyium H. L. G. II[a] p. 176: „Wir verwunderen uns.... dass Odysseus 389 sq. sein Kentniss.... gewissenschaft begründet, indem er halb aktenmässig auf Calypso und ihren Gewährsmann Hermes sich beruft." Nobis quidem, qui de partibus diasceuastae in disponendis Homericis carminibus non dubitamus, nihil est cur contra Kirchhoffium cum Heimreichio faciamus. Kammer nihil de hoc loco habet; Niese p 183 rationibus non additis difficultatem in loco tolli negat, etiam si tertia persona nobis proponamus conceptum; qui mihi non magis persuasit quam Wilamowitzio p. 126, cuius haec sunt verba: „hier gibt es keine Rettung vor Kirchhoff's bündigen Schlüssen"; nec aliter sentit Seeck.

III. De reliquis in libris ϰ μ locis a Kirchhoffio tractatis

---

1) Quam sensit Schol. ad η 238: ὅτι πρὸς τὸ τελευταῖον ἀποκρίνεται μόνον.

post Heimreichium p. 13 sq. et Hartelium (Z. f. Oest. Gymn. XVI p. 321) nemo fere Kirchhoffio concedit poetam, cum narrantem aliquem inducat, oportere succincte eum narrantem facere quaecunque ille non ipse expertus sit. Ut testimonium contrarium adhibita est Eumaei narratio in libro ο; quam cum Kirchhoff idcirco quidem a diasceuasta, suis ipsius in priore parte admissis vitiis assuefacto compositam esse dicit, fallit eum quod principii quae dicitur petitione utitur, cui errori saepius obnoxius esse videtur. Porro etiam criminandus fuerat liber ι, in quo de Cyclopum regione ac moribus narratur, antequam ipsum Cyclopem expertus est Ulixes. Quae autem in his locis minus solito modo et paullo molestius interveniunt, ea cum Wilamowitzio p. 125 explicanda ita sunt, ut dicamus poetam, per alium narrantem, circa traditiones populares quas in narratione non posset neglegere, difficultate quadam implicatum fuisse: velut cum in fabula Laestrygonum Ulixes quidem nomen urbis aut regis novisse non possit, traditio autem popularis — ἡ Ἑλλὰς φήμη (Schol. *H* ad λ 580) — ambo norit, poeta si per Ulixem narrantem ea indicare voluit, laudandus est quod ad cognitionem Ulixis explicandam duos ex sociis salvos ex periculo facit redeuntes; quae res immerito Kirchhoffio improbanda videbatur. Cum igitur in reliquis librorum κ μ locis aestimandis nimis severus fuerit Kirchhoff, tamen eius de Solis fabula opinio ut antiquitus tertia persona concepta manet; qua cum narratione cohaerent omnia inde a Circes historia (κ 133). Non autem hic inter antiquiorem et recentiorem Νόστον distinctionem facit Kirchhoff, sed initio libri κ, permotus iniusta — ut vidimus — quorundam aestimatione locorum nec non eo, quod in libris κ et μ universis Argonautarum fabulae momenta adhibita sint; de quo iam videamus. Itaque iure Heimreich pg. 19 negat ullam esse similitudinem inter Laestrygonum narrationem et quae in Argonautarum fabula de Dolionibus narrantur; per fontem quidem Artaciam (κ 108) regionem prope Cyzicum urbem indicari concedit nec tamen eo nomine commemorato poetam in hac regione collocare fabulam

voluisse, si quidem praecedentibus significavit versibus Laestrygonum urbem sub septemtrionibus sitam esse. Quod tamen ille concedit l.l. ex Argonautarum fabula minime pluribus fontibus commune (ut Arethusa) 1) sed peculiare nomen poni, inde mihi quidem appareri videtur hunc versum postea additum esse nec antiquitus ad narrationem pertinuisse. Non magis autem genealogia Circes, Aeetae sororis, Solis filiae, ex eodem fabula petita (κ 137—139) ab origine inhaeret narrationi; nam procedente carmine nihil illa necessitudine efficitur, ne iis quidem locis ubi neglegi non potuisset ut μ 129 μ 70. Idem valet de versibus μ 3 sq. (Heimr. p. 20 Wil. p 165) *Νῆσόν τ' Αἰαίην ὅθι τ' Ἠόος ἠριγενείης Οἰκία καὶ χοροὶ εἰσὶ καὶ ἀντολαὶ ἠελίοιο*, quibus Aeaea insula, ut Aea Argonautarum, contra totam reliquam narrationem ponitur sub oriente sole; ad quem locum conferendus vs. ο 404 *Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο.*

Postremum imitatione ex Argonautarum fabula illatum est id, quod narratur de Planctis (μ 61—72); quod nomen admonet *τῶν κυανέων Συμπληγάδων*, cum etiam Argo navis et Iason nominatim ibi memorentur. Ostendit Kammer p. 540—46 hoc episodium olim afuisse, quod procedente narratione ignoratur. Scilicet quae memorantur μ 202 *καπνὸς καὶ μέγα κῦμα καὶ δοῦπος* originem habent ex Charybdi cf μ 239; ibid. 220 cum Aristarcho *σὺ δὲ σκοπέλου* (i. e. ad Scyllam) *ἐπιμαίεο* legendum esse pro *σκοπέλων* apparet ex sequenti 223 *Σκύλλην δ' οὐκέτ' ἐμυθεόμην, ἄπρηκτον ἀνίην* versu autem 260 *αὐτὰρ ἐπεὶ πέτρας φύγομεν δεινήν τε Χάρυβδιν Σκύλλην τ'* cett. nomina *Χάρυβδιν* et *Σκύλλην* per epexegesin vocabulo *πέτρας* adiuncta sunt. His locis ita intellectis aut nihil aut nimis obscure narratur de Planctis: neque obstat mentio quae est ψ 327 (*πλαγκτὰς*

1) Steph. Byz. s. v. *Ἀρέθουσα: Ἀίδυμος ὑπομνηματίζων τὴν Ν τῆς Ὀδυσσείας φησίν „Ἀρέθουσαι δέ εἰσιν ὀκτώ.* Quatuor (Syracusis. Smyrnae, Chalcide, Ithacae) enumerat Schol. B.H.Q.V. ad ν 408.

πέτρας) ob recentiorem originem eius loci Eadem obscuritas obvia illo loco, ubi Circe Ulixi praecipit de Planctis (μ 59 sq) Quo modo enim inter se opponuntur μ 59: ἔνθεν μὲν γὰρ πέτραι cett. et μ 73: οἳ δὲ δύω σκόπελοι? Transitus igitur ab μ 54 (fabula de Sirenis) ad μ 73 (de Scylla et Charybdi) immutatus est ut adiungeretur Planctarum mentio: per quas tamen olim idem intellectum esse atque Scyllam et Charybdim Kammero non concedimus: ipsum enim obstat nomen.

Itaque omnia, quae cum Argonautarum fabula libri κ et μ communia habent, cum reliqua pugnant narratione; cum autem in tractando α viderimus 1) diasceuastam eo quoque ex eadem fabula intulisse momentum, consentaneum videtur haec etiam illi tribuere: qua re probata sequitur eadem valere non posse ad distinguendum inter libros ι et κ, μ, ut fecit Kirchhoff.

Sed alii alibi separationem fecerunt: Heimreich p. 23 initio fabulae de Circe (κ 135), hisce rationibus permotus, quod inde a κ 135 cessat formula: ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν cett. quae priores narrationes coniungit; nec non quod inde narrationis mutata indoles, cum auctore Circe omnia agantur et iuxta Ulixem ex sociis quidam (Eurylochus, Perimedes, Polites, Elpenor) partes agentes suas inducantur. Errat Heimreich quod etiam locorum interiorem inde a κ 135 deprehendit notitiam: minime enim apparet per Thrinaciam insulam Siciliam indicari, ut ei aliisque placuit. Magis tamen Heimreich probandus quam Niese pg. 171, qui prae ceteris τὴν Κυκλωπείαν et τὰ περὶ Κίρκης recentiora esse dicit propter amplitudinem narrationis: simili enim argumento — ut monuit Seeck — illi liber primus Iliadis pro recentissimo habendus esset. Kammer nullum in narratione ad Alcinoum partium discrimen agnoscit; quem quamvis dubitanter sequitur Sittl p. 114 cum quosdam quidem versus in κ μ ex praecedentibus repetitos esse, sed neque hos multos neque vitiose

1) cf. p. 48, n°. 18.

adhibitos affirmat. Qui tamen versus repetiti Wilamowitzio (p. 127 n 6) causa fuerunt ut ad Kirchhoffii sententiam, distinguendum esse inter ι et κ μ accederet; sunt autem κ 4 (*λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη*) ex ε 412 — nam in κ minus aptum est *τὸ χάλκεον τεῖχος* coniunctum cum illa *πέτρᾳ* —; deinde κ 56—59 ex ι 85 cett. ubi magis convenit quod narratur; κ 126 fortasse ex λ 118 (*ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ*). Addimus κ 65 sq. *ὄφρ' ἀφίκοιο Πατρίδα σὴν καὶ δῶμα καὶ εἴ που τοι φίλον εἴη*, quae aptius ponuntur η 319 sq.; nam vento dato Ulixes domum tantum, non alio etiam, deferri potest. Plures quidem versus repetiti inde a Circes fabula occurrunt, de quibus posthac agam. Kirchhoffium etiam Seeck p. 167 secutus est: nec nos dubitare possumus quin post ι distinguendum sit, cum ι 551—55 indicetur interitus omnium navium paullo post futurus quem Jupiter moliri dicitur — cui rei in nostra Odyssea ordo narrationis non respondet. Finis denique carminis ι (556—66) suturae offert speciem, ex versibus repetitis constructus.

IV. De libro λ. Post Kirchhoffium alii quoque offenderunt in eo loco libri κ, quo sequens liber praeparatur; sed varias vias inierunt ad difficultates tollendas. Qui satis ampla atque speciosa lucubratione de libro λ egit, Kammer (pp. 475—535) negat praeparationem omnino necesse esse aut olim adfuisse: damnat igitur post κ 491 (*εἰς Ἄϊδαο δόμους καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης*) omnia quae in κ sequuntur, exceptis versibus κ 496—512 et κ 529, 530 (ubi responsum Ulixis et descriptio inferorum) et versibus quibus Ulixis profectio canitur. Cur vero tam miris interpolantes modis rhapsodos (quos fingit Kammer) in Homericis carminibus grassatos esse dicamus, equidem non intellego. Aeque leviter hac in re Sittl agit p. 113, qui agnitis Kirchhoffii observationibus, insolenter nimis sic quaerit remedium ut pronuntiet: „Versuchen wir also einmal unser Glück mit dem Obelos!" Eiicit κ 532 (*μῆλα τὰ δὴ κατέκειτ'* cett.) nec non — ut sequenti versui suum obiectum redda-

tur 1) — κ 528—30 εἰς Ἔρεβος στρέψας αὐτὸς δ' ἀπονόσφι τραπέσθαι Ἰέμενος ποταμοῖο ῥοάων· ἔνθα δὲ πολλαὶ Ψυχαὶ ἐλεύσονται νεκύων κατατεθνειώτων. Hi versus (κ 528—30) non recurrunt in libro λ; quod mihi quidem contrarium probare videtur atque Sittl contendit; diasceuastae vero opera etiam agnoscitur in verbis quae diductis litteris scripsimus, non sine vitio ex ε 350 petitis. Sittlium ut Kammerum rogatos cupimus, quid interpolatores illos egisse dicamus? Cur tam insolenter carminibus Homericis insultarent? Plus profecto rationis in Pigrete illo fuit, qui alternis versibus Iliadis trimetrum iambicum addidisse fertur. — Ceteri praeter Niesium (qui tacet de hoc loco) et Seeckium Kirchhoffio assentiuntur, praeparationem in κ post librum λ factam esse. Non tamen cum Kirchoffio faciunt recentiores in eo quod λ ad antiquissimum *Νόστον* pertinere dicit; hisce ille quidem rationibus permotus. Librum ψ (265 cett) qui partem efficiat eorum quibus antiquissimus *Νόστος* continuetur, ceterum recentiore *Νόστῳ* ipse antiquior sit, cognitum dicit habuisse Tiresiae vaticinium ex λ: id igitur ad antiquum *Νόστον* pertinere debere. Sed hoc argumentum apud nos non valet, cum de altera parte Odysseae aliter ac Kirchhoff sentiamus nec quod in vaticinio Tiresiae valet, de libro λ toto iure affirmatur. Deinde quod λ nullum prodit vestigium mutatae in tertiam personam narrationis, id ob pecularem illius libri indolem non magni est momenti nec certe plus probat quam non coniungendum esse λ cum κ μ. Postremo Kirchhoff nititur episodio λ 328—83 in quo clarissime appareat Ulixem suas ipsum res narrare, cum etiam reliqui qui in eo memorantur iidem sint qui in antiquissimo occurrunt *Νόστῳ*, Arete, Echeneos, Alcinous. Attamen illud episodium ex repetitis vel minime gravibus

---

1) Itaque sic locum constituit:

ἔνθ' οἶν ἀρνειὸν ῥέζειν, θῆλύν τε μέλαιναν. 527
δὴ τότ' ἔπειθ' ἑτάροισιν ἐποτρῦναι καὶ ἀνῶξαι 531
δείραντας κατακῆαι, ἐπεύξασθαι δὲ θεοῖσι 533 cett.

i. e. δείραντας τὸν ἀρνειὸν καὶ τὴν θήλειαν οἶν.

versibus consistens (e quibus Kammer damnat 335—60) sine iusta causa interrumpit narrationem Ulixis; interponi debuit ut explicaretur, quare Ulixes diutius apud Phaeaces moratus esset quam statuerat Alcinous (η 318), et ut posterior libri λ pars cum priore coniungeretur. Non igitur ad antiquum carmen pertinet sed diasceuastae tribuendum est, qui, ut res ipsa fert, easdem personas adhibuit quae antea occurrerunt. His igitur argumentis standum non est: sed eo minus etiam valent quod quominus liber antiquo *Νόστῳ* tribuatur obstant tempora memorata; nam cum in λ et Agamemno et Anticlia de Telemacho adulto loquantur, quem infantem Ulixes reliquerat, apparet in eo libro rationem nullam haberi VII annorum quos ex Orco reversus apud Calypsonem degerit Ulixes secundum antiquum *Νόστον*. Ceterum Kirchhoffium erravisse in eo, quod librum λ tamquam carmen unum et simplex acceperit, maxime Kammer ostendit. Nam is constat ex duabus partibus multum inter se differentibus. In priore enim invenitur accurata *νεκυομαντεία*, manium sacrificium, animae mortuorum sanguine poto ad conscientiam adductae, locus autem narrationis ante ianuam Orci; in altera parte animae per se sentiunt et in Orco Ulixes versatur (cf. p. 7 n. 1 et 2).

Itaque Kammer omnem priorem partem olim afuisse dicit: congressum Elpenoris a rhapsodo aliquo additum, ex λ in κ (κ 551—60 qui versus male continuam narrationem inde a versu 550 turbant) et in μ (8—15; vide quam inepte dicatur vs. 16 *οὐδ' ἄρα Κίρκην Ἐξ Ἀίδεω ἐλθόντες ἐλήθομεν* si antea Ulixes socios suos domum Circae miserit) illatum; vaticinium Tiresiae ignorari in libro ν (42 *ἀμύμονα δ' οἴκοι ἄκοιτιν Νοστήσας εὕροιμι σὺν ἀρτεμέεσσι φίλοισιν*), nec non in libro ε a Calypso (206 *εἴγε μὲν εἰδείης σῇσιν φρεσὶν ἄσσα τοι αἶσα Κήδε' ἀναπλῆσαι πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι*); eiusdem monitum de vitandis Solis armentis non desiderari, cum idem Circe monitura sit; quod dicit de Neptuno placando, in eo cum Welckero spectandam esse sententiam minime antiquae Odysseae convenientem, qua

agricolae vita praeferatur nautarum occupationi (p. 493). Anticliam quoque de Laerte (p. 524) et Telemacho non congruentia cum ceteris referre, cum etiam in libro o Ulixes Eumaeum de parentibus suis interroget quasi nihil antea de iis audiverit. Catalogum vero heroinarum manifesto esse rhapsodi alicuius additamentum, nihil pertinens ad Odysseae fabulam (p. 527). Omnino autem incongruum videri, Ulixem in hac parte libri λ cognoscere res Ithacenses, cum post VII demum annos Ithacam venturus sit. Sed ipsius Kammeri opinio de antiqua libri λ forma cum post vs. 41 (*ἄνδρες ἀρήϊφατοι* cett) statim transeundum dicat ad vs. 328, quo Ulixes significat, se propter horam provectam finem narrandi facturum, merito mira videri debet.

Huic enim si credimus, Ulixes narravit se a Circe nulla adiecta itineris causa ad inferos missum animas supervenientes aspexisse; nec vero ultra progressus precibus tantum Alcinoi permotus respondit longe miserabiliora narrare se velle λ 381 (cum tamen nihil miserabile antecesserit); deinde exposuit quomodo, mulierum animis fugatis — nullas tamen mulieres suo libro λ recepit Kammer — accesserint Agamemno ceterique (λ 385). Ad talem carminis constitutionem, quae haud probat Kammerum plus in poesi aestimanda sapere quam eos quos multis locis reprehendit, illorum ducit ratio, qui difficultatibus in quibus iure offenderunt tollendis singulos locos eiciunt, quasi vero tum reliqua bene procedant aut unum simplexque carmen efficiant; quorum ut arguerem rationem pluribus verbis mihi Kammeri sententia tractanda fuit. Pauca sufficiunt de Sittlio p. 119, ob exiguum numerum versuum aliunde petitorum quos in λ notavit, hunc librum ad antiquissimas partes Odysseae pertinere affirmanti. Contra Niese p. 166 cett. *τὴν νέκυιαν* Telemachia recentiorem dicit, quia in ea caedes procorum praedicitur quae addita demum Telemachia in Odysseam illata sit. De hoc et de ceteris posthac videbimus; ceterum cum Wilamowitzio p. 141 cett. animadvertimus vaticinium Tiresiae et necessario pertinere

ad reliquam partem libri λ (cf. vss 164, 479 seq. quos versus damnare coactus fuit Kammer), quia ubique Ulixes ipse dicit se Tiresiae interrogandi causa venisse, et respicere narrationem de ira Neptuni in libro ε. De versibus autem quos prior et posterior pars communes habent: λ 479—82 = λ 164—167, λ 398 = 171 λ 395 sq. = λ 87 sq λ 465 = 81 non liquet utrubi primarii sint; quamquam locus λ 494 sq. ex imitatione loci λ 174 sq. factus esse videtur.

Sequitur ex omnibus his, non nisi particulam libri λ ad antiquum Kirchhoffii *Νόστον* pertinere posse.

V. De duplici, quam Kirchhoff statuit, rerum Phaeacensium narratione breviores esse possumus, cum eam rem attigerit magis quam probarit.

Rationes autem suas ita ostendit. Discrepantia ei videtur esse inter η 289 (*δύσετο δ' ἠέλιος καί μι γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν*) et ζ 321 (*δύσετο ... καὶ τοὶ κλυτὸν ἄλσος ἵκοντο*); duplex autem regiae domus descriptio in libro η — quod recentiorum plerique secundum Friedlaenderi (Philol. VI 669 sqq.) sententiam explicant —; animadvertit porro bis Ulixem lacrimantem induci in libro θ; eiusque libri versus 62—70 et finem duplicem carminis formam ostendere. Quibus observationibus probatis et Hartel (Z. f. Oestr Gymn. 1865 pg. 341) et Niese p. 191 n. 2 Phaeacidis duplicem fictionem agnoscunt, cum alii ad interpolatores culpandos confugiunt; de Wilamowitzio autem et de Seeckio posthac agendum erit. Apparet autem Kirchhoffium ideo ad hanc opinionem accessisse, quod liber θ ex alio fonte ei deducendus erat, cum diasceuastae attribui non posset; qua ratione nequaquam quae de prioris Odysseae partis compositione statuit, firmantur; de quibus iam videamus quid sit statuendum in universum.

Kirchhoff, ut plerique, magis in singulis Odysseae partibus distinguendis felix fuit quam in restituenda, quam sibi finxit, antiqua narratione.

Quare cum ex recentioribus quosdam videmus assentientes eius observationibus, omnes tamen post Lehrsium (l. l. p.

438 sqq.) universae eius de compositione veteris *Νόστου* opinioni oblocuti sunt. Ulixem scilicet facit in η rogante regina statim suos casus (ι, λ) persequentem, deinde longis ambagibus respondentem ad id, quod proprie ab eo rogatum erat; inde continuo a Phaeacibus Ithacam reductum. Tali vero carmini deest interior notitia Phaeacum, quam tamen ex antecedentibus in ζ expectare consentaneum erat; deest quae tam pulcre in libro θ offertur Ulixi occasio et causa narrandi, cum in Kirchhoffii epico carmine (*ἐποποιίᾳ*) — nam sic suum *Νόστον* appellat — importunus Ulixes videri possit qui primo statim congressu longa errorum suorum narratione detineat hospites suos cubitum iam ituros.

Haud facile tam exile umquam carmen per se exstitisse crediderit aliquis. Quod autem ab antiquo *Νόστῳ* recentiorem seiungit, temporis diversitatem in hoc nullam apparere nisi in versibus postea addi'is iam ostendimus; non magis vero nobis persuasit Kirchhoff affirmans Circen ex imitatione Medeae ortam ideoque Circes fabulam recentiorem Argonautica fabula esse. Nam ex mythologicis personis in carminibus diversitatem statuere temporum, haud scio an vanum sit; ut fuere qui Iliadem ideo Odyssea antiquiorem putarent quod in illa Iris (praeterquam in Ω), in hac Mercurius (praeterquam in ω) nuntius deorum esset; quasi non utraque fictio inde a remotissimis temporibus apud Graecos exstare potuerit, communes in hac re suae stirpi servantes traditiones, ut cognatarum gentium mythologia comparata apparet.

Non igitur recentior dicendus est alter ille *Νόστος*; nec vero carmen peculiare aut absolutum dici potest; nam in quacumque reditus Ulixei narratione ea quae insunt in ι et λ omissa esse nequeunt, nec tamen duplicis expositionis in libro ι ullum cernitur vestigium. Nec magis Telemachia (i. e. β—δ 610 et prior pars libri ο), ut voluit Kirchhoff, pro separato carmine haberi potest, primum quia per se nimis exile fuisset, deinde quia in libro β agunt proci qui in fine demum alterius Odysseae partis suas partes absolvunt,

ibique ex augurio Telemacho praedicitur caedes procorum quae sequitur in altera parte. Curta igitur esset Telemachia illa non adiuncta; quo fit ut ipsa epos dici nequeat. Hae igitur nostrae Odysseae partes separata carmina in se absoluta non sunt, neque umquam fuerunt; de antiquo autem *Νόστῳ* id quidem minime feliciter protulit Kirchhoff quod eum terminari dixit (in libro ν versu 189) Ulixis in Ithacam adventu et Neptuni ultione in Phaeaces. Nam cum caedem procorum in suo *Νόστῳ* (λ 115 cett.) praedici faciat per Tiresiam, oportuit concedere caedem ipsam eiusdem carminis partem fuisse. Deinde in Kirchhoffii *Νόστῳ* de Penelope sermo paene nullus est, sine qua tamen nullam de Ulixe fabulam exstitisse nobis persuasum est, cum etiam qui originem mythicam eius fabulae persecuti sunt, Ulixis partes ut procorum occisoris antiquioris temporis esse affirment quam eiusdem errantis aut ad Troiam pugnantis. Non igitur credibile est ullum epos quo Ulixes celebraretur illas partes neglexisse; quare nec Kirchhoffii *Νόστον*, cum neglexerit, umquam tamquam singulare epos exstitisse putabimus.

Hactenus de priore Odysseae parte egimus; de altera ad diversam omnino opinionem adductus est Kirchhoff rationibus quas duobus proposuit excursibus. In priore (pg. 538—59) agit de transfiguratione Ulixis (ν 397 cett.). Id momentum narrationis vim suam habet in libro π (172 cett., 199 cett., 208 cett. 454 cett.), secundum Kirchhoffium in ρ quoque et σ; deficit in libro ψ qui continet *ἀναγνωρισμὸν* Ulixis et Penelopes. Nihil enim de Ulixe a Minerva in priorem formam restituto audimus nisi in versibus ψ 153—163 ex ζ et ω conglutinatis, qui partem faciunt loci ψ 117—176, continuitatem narrationis turbantis et inducti ad praeparationem faciendam libri ω, qui ipse posterioris originis est. Accuratius considerantibus apparet id momentum transfigurationis cum eo non posse conciliari, quod Ulixes per signa (*σήματα*) peculiaria aut per cicatricem (*οὐλήν*) se agnoscendum praebet. Fuit igitur Kirchhoffio iudice olim sic constituta narratio ut Ulixes

naturaliter cum aetate provectior tum aerumnis deformatus domum rediret; deinde vero is, qui Odysseae priorem partem amplificavit, Minervae opera usus est, ut differentiam Ulixis a deabus amati a Phaeacibus laudati eiusdemque a procis irrisi explicaret. Is igitur supplemento suo augens antiquam narrationem, quam singulis carminibus traditam fuisse dicit Kirchhoff, novo illato momento immutavit; non sic tamen ut ubique priora cum novo invento conciliaret, cuius nonnunquam ipse oblitus esse Kirchhoffio videtur, ut in libro ψ. Aut illum aut diasceuastam aliquatenus discrepantiam narrationis levare conatum esse Kirchhoff dicit, illato in eum librum loco ψ 117—176, quo simul finem Odysseae a se ipso additum praepararet. (Kirchhoff p. 553).

In altero excursu alio testimonio probare conatur, ex pluribus carminibus epicis supplementi auctorem alteram partem Odysseae construxisse (pp. 560—597). In libro π Ulixes cum Telemacho consilium de procis occidendis iniens, huic mandat ut nutu ipsius admonitus omnia arma e virorum conclavi in thalamum absportet praeter scuta, hastas, gladios duos ipsis relinquendos; quid procis de hac re interrogantibus respondendum sit docet (π 281—98). In ipsa vero caede procorum nihil de hoc mandato peracto apparet; ibi — in libro χ ut in φ — thalamus solitum est armorum receptaculum. Aliud quidem indicant versus χ 24 sq. et χ 141; sed hos eiciendos putat Kirchhoff quod turbent narrationem. Idem valere de loco τ 4—53, in quo pars quaedam consilii in π indicati perficitur; nam contra Alexandrinos Kirchhoff, cum ambo loci nonnullos versus communes habeant, locum in τ tamquam ex imitatione alterius factum damnat, id est diasceuastae attribuit. Primum ita iudicat quia in τ, omisso illo additamento, nihil desideretur (τ 1 sq = τ 51 sq.), deinde quia minus bene in τ uno versu dicatur (τ 4 *Τηλέμαχε, χρὴ τεύχε' ἀρήια κατθέμεν εἴσω*) quod in π quatuor versibus exponitur (281—285), quo factum ut in τ amplitudine distent inter se duae partes consilii dati in π (de armis absportandis et procis frustrandis) et illic gram-

matica quoque constructio imperfectior sit, cum non ut in π *omnes* infinitivi pro imperativis ponantur, sed praecedat χρή, deinde sequantur infinitivi pro imperativis. Postremo in τ vox εἴσω Kirchhoffio videtur non dilucide locum quo arma portanda sint, indicare et in τ 10 minus solite esse dictum: ἐνὶ φρεσὶ ἔμβαλε δαίμων pro eo, quod est in π 291 ἐνὶ φρεσὶ θῆκε Κρονίων. Haec duo argumenta — ut ea statim absolvamus — infirma videntur: nam εἴσω satis perspicuum est ex ipsa occasione sermonis et ἐνὶ φρεσὶ ἔμβαλε δαίμων variarum lectionum una ex multis est (quas collegit Sittl pp. 181 cett. ex Iliade et Odyssea), quae occurrunt quotiens versus iterantur: quibus ex variationibus antiquiores et posteriores formas dignoscere non semper licet. Veruntamen haec in τ varia lectio sufficit ad refellendam Steinthalii (l.l. p. 70) sententiam, loci in τ versus 5—13 tamquam iniuria repetitos ex π eiciendos esse: ita enim nullam omnino discrepantiam inter versus utriusque loci expectaremus.

Non igitur τ 5—13 seiungi possunt a τ 4 aut a sequentibus; qua re manet inaequalitas dictionis in τ a Kirchhoffio notata: omissam porro videmus in τ necessariam consilii partem ex qua scilicet arma quaedam retinerentur ipsis Ulixi et Telemacho usurpanda. Itaque hic locus originem habens ex loco in π, additus est ab aliquo qui aliquatenus conciliare voluit narrationem libri π cum libri χ factis; idem in χ illos versus inseruit. De armis autem retinendis monere omisit: quo factum ut iam ex narratione Odysseae minus apte primum absportentur omnia arma, deinde in ipsa caede non sine labore recuperanda sint a sociis Ulixis. Quod vero in altera νεκυίᾳ (ω 164 sqq.) locus ex τ notus est, id nihil contra Kirchhoffium: cum illa pars libri ω eidem tribui possit, qui locum in τ fecit (Kirchhoff p. 593).

De illo autem quaeritur, utrum narrationem librorum π et χ continuam iam invenerit an ipse libros π et χ anteā separatos coniunxerit. Illud p. 595 negat Kirchhoff, cum poeta in narratione continua suorum ipse momentorum nequeat obli-

visci: „eine solche Annahme — sunt verba eius — scheint psychologisch unstatthaft"; nec tamen alterum probat, negans umquam librum π per se ut peculiare carmen exstitisse (p. 596). Relinquitur igitur tertium illi — quod Kammer p. 400 non vidit — χ quidem olim separatum carmen epicum fuisse, sed π ab auctore supplementi de se additum esse.

At ita auctor ille ut nobis quidem videtur neque carminum quae invenisset narrationi mutandae par fuit neque suae ipsius narrationis memorem se praebuit; et fuit minus sollers quam ille, qui locos in τ et χ intulit, qui tamen vitia narrationis perspexit et aliquatenus sarcire studuit. Valet idem de iis, quae primo excursu exposita sunt de transfiguratione Ulixis. Quae imbecillitas in supplementi auctore, cuius tamen praestans ingenium in libri π compositione agnoscit Kirchhoff, mihi quidem credibilis non videtur.

Sed de his omnibus ceteri hoc modo iudicaverunt. Kammer p. 585 locum in π recentiorem putat, ex altero loco interpolatum; primum quia π 286 (*πάντα μάλ'*) pugnet cum π 295 (*νῶιν δ'οἵοισιν δύο φάσγανα* cett.); deinde quod cum his versibus de armis retinendis conciliari non possit praetextus contra procos utendus, neque initium loci (283 *νεύσω μέν τοι ἐγὼ κεφαλῇ*) cum eo, quod tamen proci afore putandi sint; his argumentis fretus versus π 286—294 (*πάντα μάλ'* usque ad: *ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος*) eicit, cum Kirchhoffii de interpolationibus statuendis observationem 1) nihili faciat pg. 587 i. n.

Quod attinet ad χ 23—25 procos re vera — contra ac Kirchhoff statuit — vim Ulixis metuere, non casum modo infaustum exprobrare apparere dicit ex ipsis eorum verbis quae sequantur: itaque versus χ 31—33 (*ἴσκε ἕκαστος ἀνήρ* cett.) cum Alexandrinis damnandos esse. At Kirchhoffii iudicium de hoc loco mihi videtur maxime comprobari versu χ 26: *νείκειον δ' Ὀδυσῆα χολωτοῖσι ἐπέεσσιν*, quod non est metuentium sed irascentium. Alterum locum in χ ille quoque

1) Vide supra p. 28.

interpolatum putat, alia quidem ac Kirchhoff causa permotus. Cum iure impugnet (p. 600) rationem quam Kirchhoff supplementi auctoris fuisse dicit, tamen nec Kirchhoffii observationes refellere potuit et ipse minus etiam credibilia sibi finxit: scilicet aliquem ex χ 25 cett. locum in τ interpolasse, deinde alium ex illa interpolatione alterum locum in π intulisse; in quo tamen versus 295—98 fortasse ad aliam de caede procorum dicit narrationem pertinere (p. 603), quod Niesio etiam placuit (p. 191 n. 3). Huius igitur sententia nobis non satisfacit. Nec magis valent quae Kammer pp. 724—38 contra primum excursum dixit: fictionem de transfigurato Ulixe necessariam fuisse, quoniam libere ille inter notos amicosque versari debuerit Id fortasse cadit in librum ν et sequentes usque ad σ: at apparet in libris tamen τ—ψ id transfigurationis momentum deesse. Porro locum in ψ (154—164), de Ulixe post lavationem a Minerva pulcriore facto, tanquam optime compositum ad significandam veteris formae restitutionem probat, ratione nulla habita ipsorum versuum ex ζ et ω petitorum neque in eo offendens, quod Ulixes deinde conversus ad Penelopem isdem verbis utitur quibus recte antea Telemachus eam admonuit. Sed Kirchhoffii sententia, transfigurationem illam non in omnibus rhapsodiis apparere, etiam his locis a nobis notatis firmatur. Itaque quae τ 357 Eurycleae dicit Penelope: *Ἀλλ' ἄγε νῦν ἀνστᾶσα...., Νίψον σοῖο ἄνακτος ὁμήλικα· καὶ που Ὀδυσσεύς Ἤδη τοιόσδ' ἐστι πόδας τοιόσδε τε χεῖρας· Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν*, quomodo intellegi possunt de Ulixe in deformem mendicum mutato? Aut quae respondet Euryclea τ 379 *πολλοὶ δὴ ξεῖνοι ταλαπείριοι ἐνθάδ' ἵκοντο Ἀλλ' οὔ πω τινά φημι ἐοικότα ὧδε ἰδέσθαι Ὡς σὺ δέμας φωνήν τε πόδας τ' Ὀδυσῆι ἔοικας*. Quid, quod de Ulixe dicit Penelope φ 334 *οὗτος δὲ ξεῖνος μάλα μὲν μέγας ἠδ' εὐπηγὴς* de eodem Philoetius ν 194: *δύσμορος ἦ τε ἔοικε δέμας βασιλῆι ἄνακτι* (cf. p 16 n. 2)? Minus bene etiam quadrat transfiguratio in confabulationem Ulixis et Eumaei in libro ξ ut versu 214:

Ἀλλ' ἔμπης καλάμην γέ σ' οἴομαι εἰϱοϱόωντα Γιγνώσκειν. cett. — Haec omnia vidit sine dubio, quamquam non attulit, Kirchhoff: quem non refellere potuit Kammer — ut vidimus — nec Sittl pp. 138, 140, 164 cett. Kammeri argumenta iterans; Niese autem pg. 151 de altera parte Odysseae haec habet: „Es ist eine locker componirte, mit gleichartigen Einzelheiten angefüllte Handlung, wo aber doch so ziemlich jede Scene denselben Voraussetzungen gehorcht und nur in den vorhandenen Verlauf der Handlung hinein passt" — quae num recte dicta sint posthac videbimus; ceterum pp. 153, 191 n. 3 Kirchhoffii observationibus assentitur. Postremo Wilamowitz p. 60 (de armis consilium) p. 109 (de transfiguratione) partim consentit cum Kirchhoffio; ad illud vero etiam addidit, similiter locum τ 495—502 (de ancillis puniendis) ut nexum illatum esse inter praeparationem in π (316 cett.) et actionem narratam in χ (417—27). Ut ille, ita Seeck quoque pp. 90 sqq. longius persecutus est Kirchhoffii observationes.

De sententia autem quam tulit Kirchhoff de compositione alterius Odysseae partis in universum statuendum est, eum non magis hanc quam suam de priore parte opinionem probavisse. Vetus ille *Νόστος* absolutus esse sine caedis procorum narratione non potuit; cur in priore parte *ἐποποιΐαν* continuam, in altera vero carmina separata ab initio fundamentum diasceuastae fuisse dicamus, nullam attulit necessitatem aut probabilitatem; qui supplementum fecisse dicitur a Kirchhoffio eum suae ipsius narrationis fuisse inmemorem aut eam cum ceteris conciliare nequivisse credibile non est. Temporum autem finitiones quam infirmis fundamentis Kirchhoff superstruxerit iam vidimus: ita ut ne illae quidem ad hanc eius opinionem firmandam valeant. Apparet igitur eius sententiam de compositione Odysseae non posse probari excepta una re, eaque quantivis momenti, quod distinguendum esse intellexit inter poetam et diasceuastam. Praeterea vero multis acutissimisque suis observationibus effecit ut plurimis locis melius intellegatur sententia carminis: itaque

et ipse sibi maximam laudem peperit et magnum posterioribus exemplum reliquit.

Post Kirchhoffium magnum de Odyssea librum scripsit *Eduard Kammer*, cui titulus: „die Einheit der Odyssee" 1873. Quo ex libro locos nonnullos, quibus Kirchhoffium impugnat, iam examinavimus; inde autem a p. 345 usque ad p. 765 suam propriam sententiam exponit, prolato primum suo de Homericae poesis origine iudicio. Iure illorum pravam improbat sollertiam, qui ut Bekker, Jacob, Rhode, Hennings, Lachmanni in Iliade aestimanda rationes imitati, discrepantias notent, difficultates moveant, ad normam oratoriae artis exigant sententias carminum (pg. 358—68). Attamen ipse in quibusdam, quae recte ab his aliisque observata videntur, refellendis, iudicem parum felicem se praestitit: cuius rei quae exempla supra dedimus, his alia nunc addemus. Itaque in libro ν Minervae Ulixem laudantis (ν 335 sq.) verba:

Ἀσπασίως γάρ κ' ἄλλος ἀνὴρ ἀλαλημένος ἐλθών
Ἴετ' ἐνὶ μεγάροισι ἰδεῖν παῖδας τ' ἄλοχόν τε·
Σοὶ δ'οὔ πω φίλον ἐστὶ δαήμεναι οὐδὲ πυθέσθαι . . . .

ita Kammer explicat (p. 554): „jeder Andere... würde... das sehnsüchtige Verlangen tragen, Frau und Kinder wieder zu sehn, während Odysseus... noch nicht einmal nach den Seinigen sich erkundigt hatte." Opponit igitur *ἰδεῖν* et *δαήμεναι οὐδὲ πυθέσθαι*· quod nec in textu est nec conciliari potest cum sequenti versu: *Πρίν γ' ἔτι σῆς ἀλόχου πειρήσεαι* cett. Idem in versu ο 39 *ὅς τοι ὑῶν ἐπίουρος, ὁμῶς δέ τοι ἤπια οἶδεν* vocem *ὁμῶς* Scholiorum *B H* ad ν 404 secutus interpretationem: *ὁμοίως τῷ πρώην χρόνῳ* vertit: „ebenso wie früher" quod in verbis non inest; qua ratione sententiam commodat versui omni sententia carenti, cum omisso sequenti (*παῖδά τε σὸν φιλέει καὶ ἐχέφρονα Πηνελόπειαν*) ex ν 404 sq. in ο illatus sit. Miro deinde modo ad explicandos versus π 34 sq. *Ὀδυσσῆος δέ που εὐνὴ Χήτει ἐνευναίων κάκ'*

ἀράχνια κεῖται ἔχουσα (quae miramur Telemachum dubitantem de matris matrimonio dicere, cum a Minerva de suis rebus domesticis certior factus sit ο in.) citat Kammer librum Beckeri qui „Gallus" inscribitur: „Einige musterten das Vestibulum, ob nicht *über Nacht* eine Spinne dreist ihr Netz an den Käpitalen der Säulen .... ausgespannt habe" (p. 369). Tales vero explicationes non faciunt ad fidem Kammeri corroborandam. Post haec eorum, quos nominavimus, impugnat sententiam, ex singulis carminibus postea coniunctis Odysseae corpus constitutum esse putantium; qui singulis paene rhapsodiis illa carmina definiri sibi persuaserunt. Nam etsi id cadere potest in rhapsodias quae Ulixis errores ipsos narrant (ι—μ) — ut observavit Steinthal l.l. — tamen quis umquam — ita ille rogat — ut peculiare carmen librum, qualis est ξ aut π, extitisse credere possit? Quidni potius putemus tales libros inde ab initio compositos esse ut essent partes perpetui de Ulixe carminis, quod certa iam forma absolutum poetae obversaretur animo? Hoc quidem recte animadvertit Kammer; sed quod ad unitatem Odysseae probandam episodia de Theoclymeno testatur (p. 378), in eo sibi contradicit, cum ipse ea episodia postea in Odysseam illata dicat. Ceterum negari non potest hanc de Theoclymeno fictionem maxime contra Lachmannianorum sententiam valere; quae cum suum momentum in visione quae est in libro ν habeat omne, nullam haberet vim in carminibus separatim ortis, nec nisi ut pars πράξεως τελείας cogitari potest.

In ostendenda Homericae poesis indole (p. 388 sqq.) Lehrsium se sequi dicit; attamen facile intellegitur difficultates, quae accuratius in singulas partes inquirentibus occurrant, minus clare sentiri si quis non nisi totius poematis effectum attendat. Praeterea nimis facilem se praebet Kammer p. 396 cum dicit: „die Verbindung der einzelnem Abschnitte geht in der leichtesten, zwanglosesten Form vor sich ... z. B. Anfang ε und ο" Num nobis Kammer persuadere vult, eum qui illas Odysseae partes tam fecit neglegenter, poëtae nomine dignandum esse

eidemque ceteras tribuendas partes quae merito pro praeclarissimis habentur? Quis unquam poëta cogitari potest adeo dormitans ut hic illic sua ipse scrinia compilando, versibus male repetitis, narrationem suam, splendentem quammaxime aliis in partibus, pervertat? Ceterum vitia et difficultates omnes explicari posse affirmat (p. 396) si ita de historia Homericae poesis iudicemus: unum olim poetam totum Odysseae consilium constituisse, postea in canendo auxisse et mutasse, cum nec ipse nec auditores attenderent an posteriora cum prioribus conspirarent; eadem autem conditione alios deinde, rhapsodos scilicet, carmen sibi traditum recitavisse, auxisse, mutasse. Apparet secundum hanc sententiam nihil interesse inter Homerum et quemvis recentiorem poetam si qui paullo fuit neglegentior, ut nonnunquam Vergilium 1) esse videmus, nisi quod illius carmen non scripto sed per ora hominum traditum sit; nec sibi constat Kammer, cum plurimis locis (pp 347, 380, 397 cett.) cum Goetheio quidem Homerum comparat, at p. 400 Bekkerum reprehendit qui cum Italorum poeta Ariosto eundem conferat. Cur semper idem carmen priscus ille poeta variaverit, nec potius in nova materia elaborarit, non ostendit Kammer; multo minus etiam qui fieri potuerit ut nova momenta, cum veteribus non congruentia modo sed etiam aliam omnino narrationis formam indicantia, induceret suumque ipsius opus pessumdaret. Reiectis vero quas dicit interpolationibus primarium consilium Odysseae restitui posse putat; quarum in fine libri sui (p. 759) IV genera enumerat. Postremum genus quod occurrit ubi ex aliquo loco in quo sese excipiant versus, quos notabimus litteris *a b*, in alium locum, ubi exstat versus *a*, falso addatur versus *b*, facile agnoscimus; ad reliqua III hae referuntur: 1. interpolationes ampliores ad augendam narrationem illatae, imprimis in libris ν—ω sed etiam in $\vartheta\iota\lambda\mu$ obviae. 2. interpolationes illatae ad novam narrationem praestruendam, ut

---

1) cf. Wilamowitz p. 117 i. n.

in fine librorum ϱ, τ. 3. interpolationes quae ingenio aut loquacitati rhapsodorum debentur.

Iam nonnullas ex his interpolationibus examinemus an iure statutae sint et remotae restituant cohaerentem narrationem.

1. γ 313—16 καὶ σὺ φίλος usque ad ἔλθῃς eicit Kammer propter sententiam; quod Telemachi bona etiam absentis comedantur a procis; quod ipse Telemachus hanc Nestoris sententiam non memoret ο 198; quod non deceat Nestorem Telemachum ab officio erga patrem absterrere. Quae argumenta quam sint futilia cadit in oculos. Recte quidem Kammer dicit nullum transitum esse inter γ 312 et γ 313. At non magis cohaerent γ 312 et γ 317 sqq., nec desiderari potest γ 316, manifesto pertinens ad γ 317. Cum sic explicat Kammer: „Nestor hat von Menelaus erzählt und das, was Telemachos wissen wollte, zu Ende gebracht. *Da fällt es ihm ein*, dass Menelaus als letzter.... heimgekehrt sei; so knüpft er an: „*Doch* zu Menelaus etc.", verbo „Doch" nullam significationem tribuit et suo supplemento in Nestoris sermone resarcit quem ipse intulit hiatum. Cum in ipsis versibus nulla difficultas sit nec cogitari possit cur quisquam talia interpolaret, Kammeri sententiam sequi non possumus. (Kammer pp. 435 sqq.)

2. δ 391—93 καὶ δέ κε τοι εἴπῃσι cett. h. l. non aptos dicit Kammer p. 439, quod nihil de sua domo Menelaus Proteum roget. Ipsum si audis, a rhapsodis incogitanter traducti sunt ex libro κ, ubi post vs. 540 = δ 390 (νόστον θ', ὥς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα) sequi debent, cum nunc quidem ibi desunt. Similiter versus κ 190—193 (ὦ φίλοι, οὐ γὰρ ἴδμεν etc.) in librum λ transponendos esse dicit. At idem — ut vidimus p. 61 — finem libri κ et initium libri λ postea a rhapsodis additum putat Ex his igitur *postea additis* versus quidam perperam in aliam partem translati, qui deinde in priore loco perperam sunt omissi. Id vero cuinam credibile videtur? Aut quis non faciliorem intellectu ducat diasceuastae Kirchhoffiani quam Kammeri rhapsodorum rationem?

3. η 317^{b}—319^{a} πομπὴν δ' ἐς τόδ' ἐγὼ τεκμαίρομαι
ὄφρ' ἐὺ εἰδῇς
αὔριον ἐς· τῆμος δὲ σὺ μὲν δεδμημένος ὕπνῳ
λέξεαι, οἳ δ' ἐλόωσι γαλήνην
ὄφρ' ἂν ἵκηαι
πατρίδα σὴν καὶ δῶμα καὶ εἴ που σοι φίλον ἐστίν.

Quae spatio distinximus Kammer interpolata esse dicit a rhapsodo, ut hoc iam loco indicaret dormientem Ulixem rediise in patriam; pugnare enim haec cum eo, quod versibus η 327 sq. dicitur: cogniturum Ulixem, quam celeres sint Phaeacum naves. Quasi vero is post adventum, etiamsi in navigatione dormiisset, id intelligere non potuerit! Omitti autem versus, temere a Kammero culpati, nequeunt; non enim Alcinous dicere debuit: πομπὴν ἐς τόδ' ἐγὼ τεκμαίρομαι ὄφρ' ἂν ἵκηαι Πατρίδα σὴν cett. — quod vult Kammer — cum id quidem res ipsa ferat, ut Ithacam diceret devectum iri Ulixem. Diem vero statuere debuit et potuit addere de nocte navigationem futuram, ideoque Ulixem dormiturum esse. Paris momenti ea sunt quibus permotus Kammer damnat (pp. 433 cett.):

4. θ 248—386 (saltationem Phaeacum, carmen de Veneris et Martis amoribus, saltationem Halii et Laodamantis); nec praestant eius rationes illorum captionibus, quos Germanico convitio „Kleinliederjäger" dicunt et alii et ipse. Scilicet versu 247 ἀλλὰ ποσὶν κραιπνῶς θέομεν cett.) Alcinous suo populo vidicat palmam curriculi, quod unum certaminis genus Ulixes declinavit; hunc igitur iudice Kammero finem oportet esse excusationis quam Alcinous reddit Ulixi; non vero aliis Phaeacum virtutibus laudandis denuo laedendus illius animus. Nec (quae versu 245 memorantur) ἔργα dici posse putat δαίς, κίθαρις, χοροί versu 249 memorata. Contra haec monere licet versus 246—49 ad ingenium felicis Phaeacum gentis declarandum necessarios esse; Ulixem nec aspectis pulcre saltantibus laedi potuisse, nec audito carmine Demodoci; qui cur θ 107 sq. a praecone in forum deducatur, si tamen nihil

cantaturus sit, explicare supersedit Kammer. Is versum ϑ 250 paullum mutatum coniungit cum ϑ 367 ut sit (pg. 459): *Ἀλλὰ ποσὶν κραιπνῶς θέομεν καὶ νηυσὶν ἄριστοι, Ἀλλ' ἄγε, Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες Ξείνῳ νῦν δῶμεν ξεινήιον* cett. Nonne minus urbane Alcinous egisse videtur, qui excusationi suae doni adiunxerit mentionem? Talibus igitur athetesibus antiquum Odysseae consilium restitui non credo; de ceteris autem partim vidimus in recensenda Kammeri de libro λ sententia (pp. 62 sq.) nec plures opus est attingere; transeamus ad maiores interpolationes quas in altera parte Odysseae inesse dicit.

1. p. 563 cett. agit de episodiis ad Theoclymenum pertinentibus. Demonstrat ubi ea incipiunt (ο 222) narrationem turbatam (similiter Hennings p. 200 et Adam), ipsa autem in libro ο neglegenter expressa esse; optime tractat locum ρ 61—166 (quem p. 567 totius Odysseae ineptissimum vocat), inconcinnum et versibus male undique consutis compositum ostendens. Partes vero Theoclymeni in carmine ν tollendas esse affirmare non audet; quod ibi narratur per se pulcrum quidem esse dicit, sed ab Homerico ingenio alienum. (p. 572). At enim non docuit quibus definiendus sit terminis campus in, quo Homericum exercetur ingenium; quare haec mihi criminatio vagior videtur quam qua tuto locum damnemus. Kammer tamen haec omnia postea addita censet ut caedes procorum ab aliquo vate praediceretur. „Diese eine Seite", inquit „die Darstellung des Theoclymenos als eines Propheten, zog den Dichter bei seiner Arbeit auch nur einzig und allein an, ihr widmete er seine ganze Thätigkeit. Im übrigen verfuhr er mit einer ausserordentlichen Sorglosigkeit und Nachlässigkeit, die schliessen lässt, dass er mit der Scenerie der Odyssee nicht mehr die rechte Fühlung hatte." (p. 573). Difficile est cogitare poetam, qui cum in libro ν eximie munere suo fungatur, alibi velut in ρ 66—161 nihil nisi compilationem fecerit insulsam; quodsi cum Kammero (p. 574) plurium auctorum esse dicamus eas partes, iam series quaedam

interpolatorum nobis cogitanda est, e quibus prior aliquis partem in ν addiderit antiquo corpori Odysseae, posterior alius quis hanc partem pravis suturis cum reliquis coniunxerit. Tales vero interpolantium vices passum esse epos Homericum ut nullo firmatur testimonio, ita ne ipsa quidem rerum natura probabile est. Nobis quidem idem potius partis ϱ 61—166 atque libri α auctor fuisse cum Kirchhoffio et Wilamowitzio videtur: utraque enim pars eadem arte composita eandem indolem ostendit.

2. De loco π 281 cett, quem Kammer damnat, iam egimus; totam Ulixis et Telemachi consultationem esse dicit „ein elendes Machwerk" (p 603); nam inde a versu 215 a diasceuastis misere corruptam esse narrationem libri π. Id nobis minime persuasit de versibus π 235—265, qui Socraticum quoddam ἦθος ostendunt, quod Kammerum fefellit. Ibi enim Ulixes ad filium confirmandum rogat, utrum ipsi sufficiant contra tot procos an auxilium sit quaerendum. Non intellegit Telemachus, quo tendat pater; dicit adiutoribus quam maxime opus esse. Ulixe autem Iovem et Minervam proponente, filius erroris sui conscius factus, deorum quidem auxilium ad omnia sufficere agnoscit. Quam religionem non assecutus Kammer p. 609 ita narrationem supplendo, eiciendo constituit, ut Ulixes dicat: de caede procorum consultandum esse; respondeat Telemachus ipsos solos pares non esse; roget deinde ille an *alios* adiutores quaerant praeter Iovem et Minervam; hos sufficere dicat Telemachus. Ita nec prius Telemachi responsum accommodatum est ad quaestionem priorem Ulixis, nec altera quaestio Ulixis pertinet ad responsum Telemachi. Ceteram Kammer omnem consultationem, ut postea additam, eicit: attamen huius interpolationis auctor certe narrationem totius carminis secutus esset, nec momenta intulisset (π 295 sqq. de armis retinendis) quae cum reliqua narratione pugnarent. Itaque talis interpolationis nec consilium nec origo apparet, quare nobis quidem placere minime potest.

3. o 20—42 (Minervae verba de Penelope, de insidiis procorum, de Eumaeo visitando ad Telemachum facta) damnans p. 622, cetera ex initio libri o intacta reliquit, quae tamen non minus offendunt. Nam item versibus aliunde petitis male consuta sunt et sententias aeque nugaces continent. Quid igitur parte eorum versuum omissa lucremur non video, etiamsi nihil obstaret; sed obstant versus o 299 sqq. (ἔνθεν δ' αὖ νήσοισι ἐπιπροέηκε θοῇσιν) qui respiciunt ad o 33; Kammer quidem illos quoque eicit; sed num credibile putemus, interpolatorem huc illuc ad maiorem interpolationem suam tutandam versus intulisse? Quae autem causa fuit, cur quis hos versus (o 20—42) interpolaret? Nullam profecto fuisse concedendum, si Kammeri secuti sententiam opinemur iam ab initio cum carmine de reditu Ulixis Telemachiam fuisse coniunctam exstantemque coniunctionem exceptis paucis illis versibus laude putemus dignam; sin potius cetera in priore parte libri o meliora non sunt quam ea quae Kammer eiecit et nexus inter illa duo carmina deficiebat, is qui illum constituit, interpolatoris loco haberi non potest. Huius vero operam partim retinere, partim abicere, quam quaeso rationem habet, cum praesertim suturae species clarissima in omnibus obtineat?

De loco in libro τ, qui ἀναγνωρισμὸν continet Ulixis et Eurycliae, Kammer p. 650 observat fictionem eam (τ 358, 379, 383) conciliari non posse cum transfiguratione Ulixis in libro ν: „Meiner Ansicht nach" scribit p. 651 „haben wir hier eine fremde Sage, die mit der in unserem Gedicht vorliegenden Darstellung in keiner Verbindung steht, die auf ganz anderem Boden erwachsen ist. Das Motiv, das unbestreitbar eine schöne Scene gab, ist unserem Gedicht fremd; es ist auch in dasselbe in unpassender Weise hineingearbeitet;" — in hac re Kammerum errare post videbimus: — „für die Ausführung desselben war der in dieser Partie gezeichnete Zeitpunkt der einzig mögliche, da weder vorher noch nachher für eine Badescene Raum ist" — Quidni talis scena a poeta

extremi libri χ interponi potuit narrationi? — „so sah sich der Sänger, der die ansprechende Scene ungern in dem Gedichte vermisste, genöthigt, in die Unterredung selbst diese hineinzunehmen, dabei musste er derselben natürlich Zwang anthun." Apparet ad eam opinionem Kammerum delatum esse ut Kirchhoffii observationem de narrationis in altera parte Odysseae discrepantiis eluderet; frustra, nam non magis quam liber τ sequentes (ν—ψ) faciunt ad Ulixem transfiguratum.

Sed enim haec quam protulit opinio non quadrat cum ipsius persuasione de unitate Odysseae. Nam ille locus in τ si extrinsecus in carmen per se absolutum (ἐποποιίαν) inductus esset, ex carmine quodam epico sumtus esse debuisset: cum vero Kammer p. 162 ita definiat: „die Homerische Gedichte sind von Hause aus grosse, in grossen Hauptsituationen entworfene, lebendiger Entwickelung und Erweiterung fähige Ganze, [die von Mund zu Mund getragen auf Gemüth und Phantasie wirkten, eine kritische Betrachtung ganz ausschlossen"] — non intellegitur, quomodo fieri possit ut iuxta has absolutas compositiones exstiterint et traditae sint partes, quae non illarum narrationem explerent aut continuarent, sed aliam prorsus narrationis formam sequerentur.

Postremum exemplum afferre liceat, quo Kammerum τῶν ἐνστατικῶν ἐνστατικώτερον nonnunquam esse appareat.

Locum φ 258—262 (post *Εὐρύμαχ'*, *οὐχ οὕτως ἔσται* cett.) p. 678 Kammer damnat his causis allatis quas ipsius verbis referemus. „Auf vers φ 258 folgt φ 259; *νῦν μὲν γὰρ κατὰ δῆμον ἑορτὴ τοῖο θεοῖο*· diese Folge ist gedanklich absolut nicht in Verbindung zu bringen." Minime vero, dicit enim Antinous: „vides, Eurymache, festum Apollinis causam esse cur nemo nostrum arcum tendere possit" particula γάρ ita adhibita ut saepe apud Herodotum, nec raro apud Homerum ipsum cf. Η 328, Ψ 890, ε 29, μ 320.

2. „Sodann, wenn die meisten Freier ihre Kräfte bereits versucht haben, ist es mehr als jämmerlich noch zu sagen:

τίς δέ κε τόξα τιταίνοιτ'. Id ipsum concludit Antinous ex procorum vanis conatibus: quos ita excusare recte potuit.

3. „Ferner, mit welchem Recht nur konnte A. sagen, am Feste des Gottes dürfe man nicht den Bogen spannen?" Quaerit Antinous causam differendi certaminis: non praestat veritatem causae allatae.

4. „Endlich, was mir das wichtigste zu sein scheint, der Artikel bei θεοῖο (258) ist unmöglich: so konnte nur Einer sprechen, der die folgenden Verse vor sich fand und nun erst mit Rücksicht auf das hier vorkommende Ἀπόλλωνα gedankenlos τοῖο θεοῖο einsetzte." Quasi vero in praecedentibus non saepius festum Apollinis significatum esset! (v. 156, 276 sqq.) „Die ganze Ausflucht, die hier Antinoos braucht, ist zu elend." At eo ipso opus est, praetextu nullius momenti. — Verba ipsa Kammeri attulimus ut appareret quam pusillae interdum rationes sint, quibus permotus versus eicit, ut h. l. V versibus damnatis truncat orationem Antinoi, nec docet cur quis illos versus addiderit. Nemo negaverit hanc Kammeri argumentationem haud paris momenti esse atque ea, quae de plurimis partibus protulit Kirchhoff, quem vehementissime semper impugnat. Nec necesse videtur de pluribus observationibus eius agere ut appareat eius opus non praestitisse quod in titulo praedicatur; nec enim Kirchhoffium redarguit et ipsius de Homericis carminibus persuasionem cum vanam per se esse docuimus tum invalidis armis defensam, interdum vero etiam ab ipso auctore impugnatam.

Post hunc breviter nobis memorandus est *Carolus Sittl*, quem variis iam locis adhibuimus (pp. 43 sqq., 59 sq., 63, 71). In libro, qui inscribitur: „Wiederholungen in der Odyssee" (1882), non magna diligentia scripto, postquam de necessitudine quae est inter Iliadem et Odysseam egit, inde a p. 75 versus enumerat quos variae Odysseae partes communes habent, ut, quo loco sint primarii quo imitatione expressi, perspecto, series quaedam chronologica partium Odysseae constitui possit Qui cum Kirchhoffium impugnat, mirum

fecit quod, quibus ex partibus ille Odysseam compositam esse dicit, eam partitionem secutus est in tractandis versibus aliunde petitis. Tum in interpolationibus statuendis non differt a Kammero; postremo interdum de primario loco versuum secundum opinionem praeconceptam magis quam ex re statuit. Ita e g. narrationem in libro σ de Penelopa ad procos descendenti recentiorem esse dicit Telemachia (p. 100); primum quod σ 208—11 (ἦ δ' ὅτε δὴ μνηστῆρας etc.) petiti sint ex α 332—35, quod probare supersedit; deinde σ 213 (πάντες δ' ἠρήσαντο cett.) ex α 366 — insolentius enim in σ *coram* Penelopa procos suam cupiditatem ostendere Non attendit Sittl, in libro α illum versum medium esse inter plures versus aliunde petitos, nec satis sententiam eius in σ intellexit (cf. supra pp 41 sq.). Tertium, quod σ 304—6 (οἳ δ'εἰς ὀρχηστὺν cett.) ex α 421—23 petiti sint; nam in α recte iis absolvi narrationem, cum proci veniente vespera ibi dicantur abire; in σ contra post hos versus male continuari narrationem, postquam lumina accendi dictum est. Cur tamen hi versus, qui saepissime recurrunt, ex α maxime petiti esse debeant non docet Sittl: in talibus locum ubi sint primarii equidem pro certo indicari posse non credo; id quod de versibus quales sunt α 95—98 = ε 44—49 = Ω 340—45 ipse Sittl affirmat (p. 56). Non magis probavit, quod postremum indicat, versus σ 181 = β 27 (ἐξ οὗ κεῖνος [ἐξ οὗ Ὀδυσσεὺς δῖος] ἔβη κοίλης' ἐνὶ νηυσίν) et σ 288 sq. = β 127 sq. (ἡμεῖς δ'οὔτ' ἐπὶ ἔργα cett.) in σ primarios non esse, cum utrobique hi versus bene se habeant. Tam invalidis autem argumentis usus, hunc ordinem facit partium: Veterem *Νόστον* et recentiorem; narrationem de Ulixe Ithacae inter procos versanti; Telemachiam; additamenta ad alteram partem Odysseae, supplementa Telemachiae, cetera quemadmodum ipse p. 173 schemate discripsit, in quo miramur *bis* positum esse episodium quod est τ 60 sqq., quasi idem reliquis partibus vetustius et recentius esse possit.

Ita cum in altera parte Odysseae (exceptis additamentis)

duos tantum locos (τ 104 cf. η 237; χ 147 cf. ε 297, 406) ex vetere *Νόστῳ* reperiat esse expressos, illam partem posterius quidem sed tamen ab ipso veteris *Νόστου* poeta compositam esse dicit. Nos de neutro loco cum illo consentimus; quod si maxime ita esset ut Sittl vult, tamen cum infirmis, ut vidimus, argumentis fretus ex altera parte particulas quasdam seiungat, de tota re cum eo facere non possumus, nec pauci quidam loci cum aliis comparati ad tantam rem statuendam sufficere videntur. Eodem modo contendit Telemachiam recentiorem quidem esse quam Ulixis reditum, non tamen carmen per se absolutum; non separandum esse recentiorem ab antiquiore *Νόστῳ*, ceteraque quae ab eo contra Kirchhoffium disputata iam tractavimus. Cum in origine Odysseae explicanda Kammerum se sequi dicat (p. 163) nec ipse nova argumenta attulerit, haec de eo memorasse sufficere videtur.

Peculiarem in Homerica quaestione diiudicanda locum obtinet *Benedictus Niese* in libro „Entwickelung der Hom. Poesie" (1882), propterea quod negat ante Homerica carmina ullas de heroibus fabulas apud populum Graecorum exstitisse. Cyclicos poetas dicit (p. 29) materiam suam sumpsisse e quibusdam Iliadis et Odysseae locis; Homerum ipsum suam materiam non solum disposuisse sed etiam invenisse omnino. Hanc sententiam, cui totus adhaerescit, probare studuit in excursu primo pp. 233—49. Ubi negat per ea quae Achilles cantare dicitur, *κλέα ἀνδρῶν* (I 186 cf. θ 73) epicas compositiones indicari. At eodem libro (I 524 *οὕτω μὲν καὶ πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν*) eisdem verbis utitur Phoenix, cum incipit de Meleagro narrare, epici certe carminis materiam usurpans. Num etiam Phemius, Demodocus suas *οἴμας* canentes ab Homero nobis videntur inventi esse? An potius putemus quod inter aequales usurpari videbat munus, id his personis attribuisse poetam? Non negat Niese multos eorum qui in Homericis carminibus nominentur — Nestorem, Tyndaridas, Herculem, Phaedram, Procrin, Ariadnen, alios — iam ante carmina ipsa notos fuisse, at nomine

tenus: miro enim modo hoc excogitavit ut scriberet p. 237: „Wir können somit nicht wissen, ob sich das Volk von diesen Heroen und Heroinen überhaupt etwas erzählte, wie denn auch in der Nekyia Phaedra und Procris nur genannt werden und gewissermassen nur im Gefolge der Ariadne erscheinen, der Dichter also wohl von ihnen nichts wusste (!) Wie mann sich aber auch den Ursprung dieser Personen und Erzählungen denken mag, so haben sie doch ..... erst durch ihre Aufnahme in die hom. Dichtung Cours erhalten und die Fähigkeit erworben, sich zu entwickeln"

Negat igitur Niese iuxta Iliadem et Odysseam aliam heroicorum carminum materiam antiquitus exstitisse; fabulam de Argonautis ortam dicit e fortuitis quibusdam fictionibus in Iliade et Odyssea — scilicet poetam notis illis verbis: *Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα* (*μ* 70) non illud egisse ut nobilem fabulam in memoriam vocaret sed ut quam ipse invenisset rem tanquam factum omnibus notum celebraret et comprobaret —; item Thebani Cycli illustrissimas narrationes ex eisdem fontibus haustas esse. Simile est illud, quod in Aethiopide narrationem de caede Thersitis excogitatam esse dicit ex *B* 220, aut quod Kammer p. 517 totius Necyiae originem esse dicit vocem quam profert Ulixes *κ* 174 sq. (*ὦ φίλοι, οὐ γὰρ πως καταδυσόμεθ' ἀχνύμενοί περ Εἰς Ἄϊδαο δόμους, πρὶν μόρσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ*). Verum enimvero miraculo sunt poetae, qui novas pulcerrimasque narrationes ex humilibus a leo exilibusque originibus exstruere potuerint; reprehensione digni, quod interdum ingeniis suis praeclaris abusi sint ad deformanda carmina prisci illius poetae — Niese suae sententiae et ipse interdum obloquitur: — sic cum dicit p. 140 n 1. „Gewiss gab es nie einen Odysseus ohne die Odyssee" (cf etiam p 188), tamen idem pp. 186 n. 3 haec habet: „Als die Odyssee entstand, war Odysseus eben der einzige irrende Held" — et alii obloquti sunt; ut W. Ribbeck, Hom. miscellen II pp. 16—23 (1888) et Thrämer, Pergamos (1888) pp. 100—160; qui praecipue testimonio theologiae Homericae utitur — ut illo

versu *Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγανοῦ Τιθωνοῖο* — ad probandum fuisse de heroibus ut de diis fabulas quasdam in ore populi, nec eas omnes Homerum invenisse. Sed cum contra Niesium multa proferri possunt, imprimis memoratu dignum videtur, quod Wilamowitz pp. 409 sqq. dixit de nomine Briseidos in Iliadis libro *A*. Quod nomen ductum est ab urbis *Βρῖσα* sive *Βρῆσα* (C. I. G. 2042) nomine, quae in insula Lesbo sita est: *Βρισηΐς* igitur est „captiva ex urbe Brisa" ut *Γέτις*, *Κίλισσα*, *Θρᾴττα* et *Χρυσηΐς* captiva ex urbe Chrysa. Cum postremum nomen etiam pro filia Chrysae, herois eponymi urbis Chrysae (*A* 111) accipi posset, item *Βρισηΐς* tamquam „filia Briseos" (*κούρη Βρισῆος A* 392 *I* 132) accipiebatur et eius urbs Thebe vel Lyrnessus (in Cypriis autem Pedasum) dicebatur. Insulam Lesbum Achilles expugnasse dicitur libro *I*, qua in expeditione verisimile est narratum fuisse eum urbem Brisam cepisse et inde Briseidem secum duxisse. Apparet igitur in tota Iliade originem illius nominis obscuratam, mox etiam nomen ipsum falso explicatum esse: non igitur fabulam illam invenit poeta, quam traditam ne intellexisse quidem ex omni parte videtur 1). Haec omnia contra Niesium; de Cyclicis autem carminibus nemo non contrarium eius quod ille statuit videt: sicubi in Iliade aut Odyssea extra ordinem ad Troicas aut ad Thebanas res pertinentia attinguntur, his mentionibus referri ad carmina auditoribus nota, quae plenius eam materiam persequantur; hanc materiam igitur ipsam exstitisse, antequam illae Homericorum carminum partes componerentur. Itaque frustra contendit Niese carmen Cyclicum *τῶν Νόστων* ex quibusdam quae in Odysseae libris *γ*, *δ* memorentur ortum esse: nam non modo ex excerptis Procli, quibus eius sententia nititur, non satis certum iudicium de cycli carminibus ferri potest, sed etiam in illius carminis argumento nonnulla a Proclo memorantur quae absunt ab Odyssea; ita ut Odysseae loci

1) Simile aliquid attulit Usener „de Iliadis carmine quodam Phocaico" de quodam loco in libro *A*.

illorum auxilio illustrentur, non vero illa ex Odyssea explicari debeant.

Ita quam perversa sit Niesii sententia cum appareat, dolendum est hanc in ceteris eius de Odysseae compositione observationibus dominari; quarum haec prima est. Cum ex discrepantiis, iteratis, suturisque intellegamus carmina Homerica non qua concepta sunt forma nobis servata esse, Niese p. 17 nostrum esse dicit investigare quae partes primariae quae postea additae sint. Itaque Telemachiam dicit recentiorem esse quam Ulixis reditum, quod *νόστοι* in illa narrati recentiores sint, quam *'Οδυσσέως νόστος* (p. 147); nam quod *γ* 164 Ulixes dicitur a Nestore secedens revertisse ad Agamemnonem, id inventum esse ut cum *ι* 40 haec de ceterorum heroum reditu narratio quadraret. At diligentius considerantibus apparet, minime tamen narrationem illam in libro *γ* coniungi posse cum libri *ι* narrationis initio, quia ibi Ulixes a Troia continuo venisse ad Cicones dicitur, nulla de Graecorum abeuntium discordia — quae est in *γ* — mentione facta; praeterea ut cum maxime in narratione de reditu ceterorum heroum Ulixis reditus notus est, ita contrarium etiam obtinere testatur quod secundum versum *κ* 15 Ulixes Aeolo narrat *"Ιλιον 'Αργείων τε νέας καὶ νόστον 'Αχαιῶν*, nec minus probat versus *α* 11 sq. (*ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες* cett.). Telemachiam porro dicit additam esse partim ut reliquorum casus Troia redeuntium memorari possent, partim ut societate periculorum, quae in altera parte Ulixi domi subeunda sint, dignum redderent Telemachum labores itineris suscepti; itaque et alteram partem totam recentiorem esse quam Ulixis Reditum. Hunc igitur olim alium finem habuisse oportere (p. 152); cuius vestigia etiam nunc reperiri in altera parte In libro *τ* scilicet et in *ἀναγνωρισμῷ* Ulixis et Penelopes (*ψ*) narrationem pugnare cum praecedentibus et sequentibus (p. 163); hae si partes coniungantur cum initio libri *ν*, inde hunc fere ordinem narrationis constitui posse, ut Ulixes Ithacam reversus, cum uxore per nutricem Eurycliam collocutus, a Penelope agnitus esse dictus sit, quo

facto procos sua sponte discessisse (p. 161). Qui exitus cui non ridiculus debeat videri nescio. Postea addita igitur censet Niese quae narrantur de coetibus procorum, de transfiguratione Ulixis, omnemque Telemachiam; in iis autem quaedam posterius etiam adiecta esse, ut narrationem de Iro mendico.

In priore autem Odysseae parte Necyiam recentiorem dicit quam narrationem de Circe et Telemachiam (pp 167—170), quod apparere ex sutura qua coniuncta est cum reliquis, ex versibus in vaticinio Tiresiae repetitis ex Circes monitis, item ex versibus repetitis ex Telemachia, ut κ 532 sq. (ὅς κεν τοι εἴπῃσι cett.) ex δ 389 sq (potius adducere debuit κ 496 cett. = δ 538 ὣς ἔφατ' αὐτὰρ ἐμοίγε κατεκλάσθη φίλον ἦτορ Κλαῖον δ' ἐν λεχέεσσι καθήμενος cett.); at animadvertendum ambos hosce locos pertinere ad suturam quam supra memoravimus (cf. p 54). Deinde in Necyia narrationem de caede Agamennonis compositam esse contractis iis quae in libris γ, δ narrantur additaque nova Cassandrae persona; et quod Telemachus in Necyia dicitur ad adulescentiam iam venisse, id ex notitia Telemachiae repetendum esse. Locos porro in μ, ο ubi ad Necyiam respicitur, postea additos esse affirmat; ipsam autem recentiora quaedam excepisse. Deinde in Νόστῳ duas partes esse censet: vetustiorem, qua breviter narrati sint errores Ulixis, non nominatim inductis sociis; in qua per versus ἔνθεν δὲ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ cett. transitus fierent (p. 188); alteram partem recentiorem continentem narrationes de Cyclope et de Circe (p. 173) Iram praeterea Neptuni (quae est in libro ε inque Phaeacide cum eo cohaerenti) et auxilium Minervae ab antiquissimo Νόστῳ afuisse; scilicet Minervae partes ut faventis Ulixi repetendas dicit ex Dolonia! (p. 177) Librum nempe ε ad recentiora pertinere illo iudice arguit locus ε 177 sq. ex κ 342 sqq. petitus: contrarium vero ostendit Wilamowitz, ut videbimus Tum nomen ipsum Calypsus significatione manifesta sua ei videtur originem recentiorem ostendere fabulae, quae ignoretur in loco τ 273 (p. 185). Postremo multa addita esse affirmat in Phaeacensium rerum

narratione (p. 181). Itaque olim haec dicit Niese in Odyssea fuisse: prooemium usque ad versum α 9, Ulixis adventum in Scheriam, eiusdem narrationem (de Ciconibus, Lotophagis, Aeolo, Laestrygonibus, Thrinacia), reditum in Ithacam, ἀναγνωρισμόν Ulixis et Penelopes. Addita esse postea quae de Cyclope, Circe, Sirenis, Scylla et Charybdi, Calypso narrantur; item Phaeacidem, Telemachiam, Necyiam, alteram partem Odysseae, librum ultimum (ω); haec pleraque orta esse ex quibusdam in antiquioribus partibus mentionibus; nexus autem inter antiquiora et recentiora postea effectos esse: et quaedam in recentioribus posterius etiam addita (ut in Telemachia, Phaeacide, Necyia). Ut Phaeacidis antiquior expositio exstiterit iuxta recentiorem, ita de caede procorum quoque vetustiorem quandam affirmat narrationem indicare versus π 281 cett. (p. 191 n. 3).

Hisce autem omnibus saepius iam contradiximus; nam ut praetermittamus sententiae de carminum Homericorum origine ab eo prolatae errorem, cetera quoque levissimis argumentis defendi miramur: ut quo indicio parum firmo distinguat inter antiquiorem et recentiorem partem τοῦ Νόστου (cf. p. 59), quo iure narrationem de Circe eximat ex iis, quae secuntur, quibuscum tamen illa artissime cohaeret. Ceterum de libris ε usque ad θ in tractanda Wilamowitzii sententia agemus. Est etiam in quo Niese cum Kammero facit, quod in recentiore parte postea nova quaedam addita esse dicit, quas Kammer interpolationes nominat; at ne apud illum quidem unde talia irrepserint intellegi potest. Cur e. g. in libro μ versus 330—52 et 366—396 additamenta esse putemus? Priores arguunt locum illum ex δ 360 sqq. expressum esse (et μ 33 ex β 336 coniuncto cum ζ 210 aut ex similibus versibus constructus); nec igitur Telemachiam recentiorem esse quam antiquissimum Niesii Νόστον. In altera parte caedem procorum, ut Ulixeae fabulae propriam, abesse non posse iam diximus; nec Penelope partes ullas in fabula obtineret, si procorum facinora in libris ρ, σ cantata abessent. Nihil igitur agit, qui duas partes (τ, ψ) inter quas nexus nullus, e toto eximat et cetera omnia postea afficta esse affirmet.

Recte vero de his scribit Ribbeck p. 21: „die Art, wie Niese sich die Gedichte entstanden denkt, hat etwas so mechanisches dass eigentlich das Gegentheil von dichterischem Schaffen dabei herauskommt. Als das, was er den ältesten Stamm der Ilias und Odyssee nennt, bleibt ein so winziger Rest übrig, dass man nicht recht begreift, wie ein *Dichter* sich angeregt finden konnte, statt ein für sich bestehendes Werk zu schaffen, zu einem dieser beiden kleinen Stücke etwas hinzu zu dichten und mit seiner Kunst in dieses ganz und gar auf zu gehen .... Auf der einen Seite haben die Urepen eine ganz unglaubliche Autorität besessen, dass nichts selbständiges neben ihnen aufkommen konnte; auf der anderen schrumpft dieselbe in bedenklicher Weise zusammen und wir sehen vielmehr ein frevelhaftes Beginnen einer ganzen Nation, die die Verunstaltung eines kostbaren Schatzes zu einem Privilegium so und so vieler Poetaster macht."

Sed tamen unum illud merito laudatur quod primus Niese de singulari loco dixit quem nocturnum Ulixis et Penelopae colloquium obtinet (τ). Quae peculiaritas his rebus efficitur. 1. quod praeparatio illius colloquii (in libro ϱ) composita est post colloquium ipsum 2. quod h. l. quaedam narrationes primariae sunt — ut de tela Penelopes — quae alibi imitatione introducta occurrunt 3. quod in hac narratione nihil de Ulixe transfigurato apparet 4. quod non conspirat haec narratio cum iis quae in eodem libro secuntur. Hanc observationem longius persecutum esse videbimus

Uedalricum de Wilamowitz Moellendorff, qui in libro „Hom. Untersuchungen" (1884) *VIII* capitibus unoque excursu scripsit de compositione Odysseae.

Primo capite ostenditur librum α totum non poetae sed diasceuastae tribuendum esse; de quo rettulimus supra (pp. 45—50).

Caput secundum est de Ulixe ter icto, ab Eurymacho (σ), Ctesippo (υ), Antinoo (ϱ). Narrationem de Eurymacho antiquissimam ducit scriptor, ceteras ex imitatione ortas; quam sententiam probare conatur examinato libro σ. In eo pars

quae agit de descensu Penelopes (σ 158—303) non cohaeret cum reliquis: primum quia diei temporibus accurate statutis — cum σ 606 dicatur advesperascere, initio libri σ rixa inter Ulixem et Irum orta et cenae vespertinae praeparatio (σ 44) narretur, versu autem σ 306 vespera adesse dicatur — nihil spatii illi descensui relinquitur. Tum quia idem actus conciliari nequit cum consilio Penelopes (in libro ϱ) nocte demum in virorum conclave descendendi. Postremo quod quae agit Penelope non conspirant cum reliqua narratione. Proponit sibi amorem procorum excitare ut ab iis acquirat munera (σ 160); quod propositum, adversus ancillam Eurynomam praetextu quodam dissimulatum (σ 163), ab Ulixe prorsus intellegitur, postquam rem effectam vidit; quod explicari non potest in ea quam hodie legimus narratione. Prorsus igitur per se staret haec pars, nisi versibus 214—243 (quibus narratur Penelopes et Telemachi confabulatio, in qua de Iro quoque significatur) nexus quidam cum praecedentibus efficeretur; at hi versus abrumpunt ordinem narrationis, quo versui σ 213 (indicanti affectus intimos procorum) statim succedere debet σ 244 (quo versu affectus illi ab Eurymacho declarantur); ipsi autem versus sunt subobscuri, quod nonnulli ex iis aliunde petiti sunt, nec vero de Iro verba facere sibi Penelope proposuit. Itaque Wilamowitzio additi videntur ut illam solitariam partem de qua agitur cum praecedentibus coniungerent; non tamen a diasceuasta; nam is haec eo iudice iam coniuncta repperit, cum in librum α et σ 208 cett. et σ 304 cett. transtulerit. Id tamen eam ob rem concedere necesse non videtur; nam utriusque loci versus saepius recurrunt. Cetera autem in libro σ bene cohaerere ostendit; in qua post rixam cum Iro actam narratur cena vespertina; deinde exponitur quo pacto Ulixes illustrandi munere fungens increpetur a Melantho, quae Iri mentionem facit et irrideatur ab Eurymacho tamquam mendicus senex calvitie capitis insignis. Haec omnia praeclara arte exposita esse demonstravit vir ingeniossimus nec minus sequentia: quibus narratur Ulixes responso suo Eurymachum

laedens ictum eius effugisse ad pedes Amphinomi quem antea (σ 120—157) amicum expertus erat; ut deinde cum proci conturbarentur. Telemachum eos increpantem et simul Ulixem defenderit Amphinomus, cui morigerati post libationem factam proci domos abierint. Sunt quidem in hoc libro versus ex Iliade translati (σ 403 sq. = Δ 574 sqq); sed recte adhibiti sunt; et praeter illam partem solitariam iudice Wilamowitzio omnia aptissime cohaerent.

Altera narratio, de Ulixe a Ctesippo crure icto bovino, est in libro ν, cuius multa vitia cum Bekker recensuit (Hom Blätter I pp. 123 sqq.), tum Wilamowitz haec animadvertenda addidit; post versum ν 121 Telemachi profectionem in forum ex libro β sumptam esse, cum illic necesse sit, hic neglegatur in sequentibus; nimis festinanter porro narrari de Eumaeo Philoetioque intrantibus; qua in parte vss 230 cett. (ius iurandum Ulixis) ex libro τ, responsum pastorum (vss. 235 cett.) ex φ (299 cett.) sumptum esse; versus 239—246 (de insidiarum contra Telemachum exitu) propter π tantum, item vss. 276—78 (de festo Apollinis) propter φ insertos esse; bis (vss 250 cett. et 279 cett.) cenam descriptam et transitum ad narrationem de Ctesippo iisdem versibus factum esse, quibus in σ Eurymachi ictus inducitur. Porro in verbis sequentibus Telemachi quaedam sumpta ex π (ut ν 315—19 = π 105—09); quas gerit partes Amphinomus in σ, eas hoc libro mandatas esse Agelao cuidam, tam subito prodeunti quam Philoetius supervenit; eum autem ex libro χ huc illatum esse; ibi enim, necatis Antinoo Eurymacho Amphinomo quartum aliquem inter procos peculiariter distinguendum fuisse, quod in libro ν opus non fuerit fieri. Quae ille dicit, ea partim ex libro σ traducta, partim ad persequendam narrationem libri β facta esse; Telemachi autem responsum ex ρ petitum esse (ν 343 sq. = ρ 398 sq.). Quae sequatur visio Theoclymeni eam interpolationem dici non posse, cum ad dementiae procorum significationem (ν 316) valeat. Inde a versu 389 narrationem sequentis libri incipere; qui praecedunt versus 284—86, hoc loco aptos non esse Itaque docet Wilamowitz

in libro ν inde α versu 122 adhibitam esse Telemachiam (β, π) et libros $\rho\sigma\phi\chi$: aeque autem neglegenter ac α hunc librum a diasceuasta compositum esse ut nexum faceret inter colloquium nocturnum narratum et caedem procorum. Inde sequi, ut etiam narratio de Ctesippo ex imitatione nata sit; quod tamen nobis dubitandum videtur cum diasceuastae certe vires illa superare videatur.

Narratio de Ulixe icto ab Antinoo occurrit in libro ϱ; cuius prima pars (vss. 31—166), defectissima arte composita ineptis scatens repetitionibus, nihil nisi sutura est a diasceuasta ad coniungendam Telemachiam cum reliqua Odyssea confecta. Ultima pars (inde a versu 492) post libri τ primam partem tamquam praeparatio facta est; nam Penelopae de hospite roganti non ea respondet Eumaeus (vss. 522 cett.) quae ab ipso in libro ξ audiit, sed quae Ulixes Penelopae refert in libro τ. Similiter in ea parte liber σ adhibitus est; nam ϱ 539 sq. petiti sunt ex σ 384 sq et insolita temporis definitio in fine libri ϱ (606) originem habet ex sequentibus. Hae igitur partes primariae non sunt; narratio autem de Antinoo cohaeret cum narratione de Melanthio (cf. vss. ϱ 370 cett.), in qua versus ϱ 226—229 iidem sunt, quibus utitur σ 362—64 Eurymachus ad Ulixem increpandum. Hos in ϱ ex σ petitos dicit Wilamowitz, quia verba *ἀλλ' ἐπεὶ οὖν δὴ ἔργα κάκ' ἔμμαθεν* minus apte proferat Melanthius, qui tunc primum hospitem viderit, quam Eurymachus qui mendicum in σ apparitoris vices gerentem attenderit. Mihi quidem ut Seeckio de illa re hoc argumento statui posse non videtur; nam utroque loco bene adhibiti sunt illi versus. Verba quidem Ulixis ad Antinoum (ϱ 415—444) partim ex τ (cf. ϱ 419—24 = τ 75—80) partim ex ξ (ϱ 426—441 = ξ 258—272) petita sunt; non tamen inde sequitur totam hanc de Antinoo narrationem ex imitatione ortam esse; nam in eoden libro alia pars, narratio de morte Argi canis, primaria procul dubio est, nec fieri potest ut princeps procorum nihil contra Ulixem peccavisse fingeretur, cum tamen alterius (Eurymachi) superbia memoraretur. Itaque

nec de Ctesippi nec de Antinoi narratione ipsa nobis persuasit Wilamowitz.

Hucusque progressus Wilamowitz, persequens ea quae Niese observavit de priore parte libri τ, praeclarissima expositione ostendit eius partis ab initio argumentum id fuisse, ut Ulixes agnoscendum se praebuerit Penelopae. Idcirco — ut animadvertimus — omissis suis ipsius aerumnis hospes orationem suam transfert ad casus Ulixis, fidem Penelopes conciliare sibi studet narrato Ulixis in Cretam insulam adventu, confirmat accurate referens de habitu vestituque eius. Ita commoto Penelopes desiderio narrat Ulixem apud Thesprotos 1) versari; iure iurando affirmat eum *τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦ δ' ἱσταμένοιο* rediturum in patriam, i. e. *τῇ ἕνῃ καὶ νέᾳ* ut Athenienses dicunt. Postridie eius diei (*τῇ νουμηνίᾳ*) apud Iones festum Apollinis celebrari solitum esse ex Ps. Herod. in vita Hom. c. 33 ostendit E Meyer in Herme 1892 pp. 363 sqq. Cum autem huius loci narratione significetur sequenti die id festum celebratum iri, apparet hunc ipsum diem, qua cum Penelope hospes fabulatur, esse *τὴν ἕνην καὶ νέαν*· itaque hospitem per ambages, oraculorum modo, significare Ulixem iam coram adesse. Ita uxoris mente praeparata

---

1) Versus τ 270—302 quibus de erroribus Ulixis refertur convenienter priori parti, nisi quod pro Calypso ponuntur Thesproti, Wilamowitz p. 51 antiquiores ducit quam versus paralellos ξ 321—335; minus recte ut videtur. Nam in ξ melius se versus excipiunt; post vss 321 sq. *κεῖνος* (i. e. Pheidon) *γὰρ ἔφασκεν Ξεινίσαι ἠδὲ φιλῆσαι ἰόντ' ἐς πατρίδα γαῖαν* et vss. 323 sq. *καί μοι κτήματ' ἔδειξεν ὅσα ξυναγείρατ' Ὀδυσσεύς* cett. usque ad *τὸν δ'ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι . . .*, sequitur: *ὤμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν . . . Νῆα κατειρύσθαι καὶ ἑταίρους ἔμμεν ἑταίρους Οἳ δή μιν πέμψουσι . . . . . Ἀλλ' ἐμὲ πρὶν ἀπέπεμψε* Dulichium ad regem Acastum scilicet (ξ 334). Contra in τ iter hospitis Dulichium versus (quod nisi libro ξ cognito non intellegitur) intervenit inter vs. 287 (*ὤμνυε δὲ πρὸς ἔμ'αὐτόν . . . . .*) et τ 293 (*καί μοι κτήματ' ἔδειξεν*); et τ 301 sq. (*οὐδ' ἔτι τῆλε φίλων καὶ πατρίδος αἴης Ληρὸν ἀπεσσεῖται*) petiti sunt ex σ 145 (*ἀνδρὸς ὃν οὐκέτι φημὶ φίλων καὶ πατρίδος αἴης Ληρὸν ἀπέσσεσθαι*). De ceteris quidem (ut de versibus ξ 158—162 ex τ 303—7 petitis) mihi persuasit Wilamowitz

ad nutricem fidelissimam se Ulixes convertit ut ab ea per cicatricem in lavandis pedibus agnoscendum se praebeat. Eurycliae similitudinem formae inter hospitem et Ulixem observanti assentitur ipse; postremo sequitur lavatio et ἀναγνωρισμός. „Das bruchstück einer anderen Odyssee endet hier" — ita Wilamowitz p. 55; quae Odyssea, si eum audimus, non habuit transformationem Ulixis, quam in libris ν usque ad σ esse dicit. Cum tamen haec pars libri τ in eo, quod ancilla Melantho *iterum* hospitem laesisse dicitur, cohaereat cum praecedenti libro, putandum esse dicit aut eum, qui ν—σ composuit, antiquiorem librum τ adiunxisse aut has partes ab alio coniunctas esse. Fragmentum a se inventum ita explet Wilamowitz p. 58 ut narratum fuisse affirmet post ἀναγνωρισμόν Ulixem cum Penelope dolum certaminis composuisse (quod re vera habet vs. ω 167), postridie autem adiuvante et conscia uxore procos Ulixem occidisse. Non igitur narrationem librorum φ χ ad idem carmen pertinere (p. 58); quam rem etiam probari eo quod altera pars libri τ inde a versu 395 (exceptis τ 467—75) suturae speciem ostendat. Sequi enim narrationem de Autolyco et de origine cicatricis, omnium iudicio postea affictam et versibus aliunde petitis compositam, deinde de ancillis puniendis sermonem inter Eurycliam et Ulixem, nexum inter consilium π 316 et rem effectam χ 418 illatum ab eodem qui initio libri τ addendo alterum inter π et χ nexum constituit. Inde sine ullo transitu aut praecedentium memoria Penelopem verba facere quorum sententia non sine vitiis aliunde repetita sit. Nam in versibus τ 511—17 exaggeratam redire sententiam versuum ν 83 cett.; male adhibitam esse comparationem Aëdonis, somnium autem de anseribus ex imitatione augurii quod Helena in libro ο explicat ortum; cum praesertim intellegi non possit, cur adversus tam ἐναργὲς ὄνειρον tamen sequenti die post arcus certamen novas nuptias se inituram esse regina profiteatur. Sed praeter hanc quam observavit Wilamowitz neglegentiam in narrationis momentis adhibitis obviam, accedit quod ex versibus C plures dimidio

primarii non sunt, sed ex priore parte eiusdem libri aut ex libris δπρφ petiti. — Haec igitur sutura locum occupavit antiquioris narrationis quam ostendit Wilamowitz: cui nos ita assentimur ut eius sententia supplenda videatur iis quae Seeck attulit; quibus simul refelluntur ea quae in sequenti capite (IV) de libris φ—ω dixit Wilamowitz.

IV. Primum ostendit Wilamowitz non sequendos esse Alexandrinos in damnanda ultima Odysseae parte inde a versu ψ 296. Nam ea parte eiecta, necesse esset etiam damnare versus ψ 240 cett ubi agitur de nocte a Minerva prolongata, qui seiungi neqeunt a ψ 344 cett. agentibus de aurora ab eadem evocata; item ψ 248 cett (mandata Tiresiae), qui versus pertinent ad ψ 310 cett., enumerationem omnium rerum ab Ulixe gestarum continentes. Praeterea Ulixis et Laertae ἀναγνωρισμός in libro ω praeparatur variis locis in praecedentibus: α 187—193, δ 722, ξ 173, ο 353, π 135—153, 302, ρ 41, ψ 117—152 — qui versus omnes quo loco positi sunt, in eo turbant reliquam quae ibi est narrationem; unde sequitur eos propter antiquiorem tantum libri ω narrationem illam a diasceuasta additos esse Ne putemus unum eundemque poetam narrationem in ω et hos locos carmini intulisse, obstat quod in eo ex hac ipsa narratione quosdam versus diasceuasta adhibuit 1); deinde quod idem in ipsam hanc narrationem locum ω 439—50 (Medontis orationem in contione Ithacensium) inseruit quo respiceretur ad narrationem de Minervae auxilio in caede procorum (χ 205—40). Partes igitur quasdam libri ω, continuantes narrationem libri ψ, diasceuastae notas fuisse apparet Supra autem ostendit Wilamowitz post priorem partem libri ι narrationem abruptam esse: quam sententiam p. 74 ita supplet ut affirmet libros φ—ω a diasceuasta cum prioribus coniunctos esse. Qui cum aliam expositionem de caede procorum et de Ulixe ab uxore agnito continerent, diasceuasta inde removere debuit ea quae cum priore narratione pugna-

1) α 185 ex ω 308, δ 624 ex ω 412, ε 23 sq. ex ω 479 sq.

rent. Huius rei vestigium invenit Wilamowitz in loco χ 490 sq. ubi Ulixes, rogatus ab Euryclea ut balneis se purget, abrupte respondet: πῦρ νῦν μοι πρώτιστον ἐνὶ μεγάροισι γενέσθω. Hunc versum reposuit iudice Wilamowitzio diasceuasta pro narrato primitus, ut putat, balneo in quo Ulixes post caedem procorum ab Euryclea per cicatricem agnosceretur; quod cum narratione libri τ conciliari non posse videbat. Quo factum est ut lavationem ipsam importune introduceret post ψ 151; hanc enim ibi male positam esse Kirchhoffio concedit Wilamowitz, non tamen hunc locum una cum praecedenti narratione (ψ 117—151) considerandum esse tanquam libri ω praeparationem. Aliam autem narrationem esse in hac ultima parte Odysseae, nec congruentem cum praecedentibus carminibus ν τ etiam inde putat apparere, quod initio libri ψ sic loquitur Euryclea ad Penelopem ut ambae certamen institutum nescire videantur, nec umquam Penelope hospitem coram viderit; nam versum ψ 28 (ὁ ξεῖνος, τὸν πάντες ἀτίμασαν ἐν μεγάροισιν) postea affictum censet Wilamowitz; et quae sero Euryclea de cicatrice dicat, ea ex antiquiore expositione reficta esse ut aliquatenus constaret sibi narratio. At haec omnia non demonstrant quod probare vult Wilamowitz, scilicet inde a fine libri ν (vs 387) usque ad finem Odysseae perpetuum carmen epicum nos habere, quod per suturas quae sint in altera parte libri τ et in libro ν diasceuasta coniunxerit cum prioribus, in quo Ulixes inscia Penelope procos occidisse, deinde uxori se aperuisse dictus sit. Addit Wilamowitz idcirco diasceuastam, cum coniungeret, in libro τ id mutavisse, ut Ulixem ab Euryclea quidem, non vero a Penelope agnitum faceret; eadem autem coniunctione explicari discrepantias inter libros π et χ

His, quae exposuimus recte Seeck adversatus est, cum observarit unum magnumque esse narrationis momentum quod distineat a quae Wilamowitz coniunxerit et coniungat quae ille distinxerit Nam apparet in libris ν usque ad initium libri τ de Ulixe transfigurato agi, inde autem illam formae

mutationem non adesse in narratione; magnum igitur momentum, quo liber τ cum sequentibus communiter caret, impedit quominus φ—ω ab illo libro divellamus, aut τ cum prioribus coniungamus. Quod a diasceuasta in libro τ mutationem factam dixit Wilamowitz, — (olim enim Ulixem ibi ab uxore non a nutrice agnitum esse) — non attendit Eurycléae operam necessario adhibendam fuisse praesentibus ancillis 1); quibus ab illa demissis tantum sine periculo Ulixes uxori se aperire potuit. Postremo observavit Seeck narrationem librorum φ, χ coniungi posse cum priore parte libri τ; nam ab origine certamen arcus — quamquam initio libri φ Minerva instigante id proponi dicitur — dolum inter Ulixem et Penelopam compositum esse ad occidendos procos. Id etiam significari ab Amphinomo in altera νεκυίᾳ referenti de caede procorum (ω 107):

αὐτὰρ ὃ ἦν ἄλοχον πολυκερδείῃσιν ἄνωγεν
τόξον μνηστῆρεσσι θέμεν πολιόν τε σίδηρον.

Hac cum sententia narrationis, Penelopa adiuvante caedem procorum factam esse, ad quam ea, quae in priore libri τ parte relata sunt, necessario poetam duxissent, si narratio uno consilio processisset nec duae diversae expositionis formae coniungendae fuissent — cum illa igitur sententia quadrant loci nonnulli in libro φ. Velut verba Telemachi φ 103—105 (ὦ πόποι, ἦ μάλα με Ζεὺς ἄφρονα θῆκε Κρονίων· Μήτηρ μέν μοι φησὶ φίλη .... Ἄλλῳ ἄμ' ἕψεσθαι .... Αὐτὰρ ἐγὼ γελόω καὶ τέρπομαι ἄφρονι θυμῷ) tum demum recte intelleguntur, si de dolo a parentibus excogitato filium edoctum esse putamus; alioqui enim insaniret si laetum se diceret novo matris consilio, quo probato ea quae in libro π secum Ulixes constituerat irrita futura non poterat non videre. Idem valet de locis φ 311—19 et 330—42 ubi Penelope hospiti arcum tradi iubet. Sunt haec omnia indicio narrationem libri φ a libri τ narratione separandam non esse. Nec vero,

1) τ 121, 317, 372.

quod voluit Wilamowitz, libros φ—ω carmen unum et simplex haberi posse ostendit Seeck demonstranda sutura in libro χ. Occisis enim Antinoo et Eurymacho, Amphinomus a Telemacho transfixus cadit hasta, quam ex occisi corpore evellere non audet Telemachus. (χ 95). Sed ceteros quid impedierit procos quominus illa potirentur — quod certe addendum fuit — referre neglegens abrumpitur narratio versibus χ 99—125, aliunde maximam partem petitis, qui prorsus incredibile factum continent: scilicet dum arma affert Telemachus, Ulixem sine ullo praesidio singulos deinceps procos non repugnantes traiecisse sagittis! 1) Haec pars (ut initium libri τ de remotis armis) pertinet ad consultationem de armis removendis in libro π; quo loco (ut iam Kammer censuit) alia de caede procorum praeparata est narratio, quae Ulixem filiumque fecit hastis procos adorientes, quibus ipsis ne gladii quidem praesto essent quibus sese defenderent, ita ut iis per Melanthium arma afferenda essent; quae narratio exstat etiam in altera parte libri χ. Versus igitur quos notavimus suturae vice funguntur inter duas diversas de caede procorum narrationes; quarum prior cohaeret cum priore parte libri τ. Itaque cum quibusdam momentis illa pars continuetur in libris φ, χ, nec ipse liber χ simplex sit, improbanda videtur ratio Wilamowitzii libros φ—ω tamquam unum et simplex carmen a praegressis separantis.

V. Capite quinto a Wilamowitzio agitur de Telemachia, quantum ab origine comprehenderit et quem locum habuerit in antiqua Odyssea. Quae cum id agat, ut, relatis ceterorum heroum in reditu casibus, Telemachum ad societatem paterni periculi erudiat, necessario eius auctor antiquiorem cognovit Odysseam. Id firmatur cum eo quod in libro β eidem inducuntur qui in libris ρ—φ prodeunt, tum quod et in β et in ο bis augurio Telemachus de patris reditu admonetur — ut de Prōtei in δ relatione, quae minus cum ipsa narratione videtur

1) χ 116 sq.

coniuncta esse, sileamus. — Kirchhoffium secutus Wilamowitz olim Telemachiam uno ordine continuatam fuisse censet, non, ut nunc, libris ε—ξ in duas partes divisam; itaque finem libri δ et initium libri ο diasceuastae tribuendum esse. Narrationi de Telemachi reditu inserta est in ο historia de Eumaei raptu, quam Wilamowitz fabulam dicit esse popularem, minus bene subulci personae adaptatam; pro ea olim narratum fuisse putat quo modo Ulixes apud Eumaeum devenerit (nempe breviorem suspicatur fuisse expositionem eorum quae nunc libris ε—ξ narrantur) et quo modo Telemachus insidias procorum effugerit; nam ex versibus libri π 344—448 (unde finis libri δ compositus sit) apparere, id prolixius in carmine ο narratum esse, cum hodie non nisi unus versus (ο 301) eam rem attingat. Res ipsa fert illo iudice ut deinde Telemachia etiam rerum contra procos ab Ulixe et Telemacho gestarum — quarum praeparatio exstat in libro π — expositionem habuerit. Sed in libris ρ (omissis diasceuastae additamentis) σ τ inveniri quaedam, quae conciliari non possint cum narratione Telemachiae; ut hiemis tempus saepius memoratum 1) non congruat cum transmarino Telemachi itinere, de quo quidem ipso in his libris mentio nulla est. Itaque antiquiorem materiam a poeta Telemachiae reformatam esse, cum olim in Odyssea sic narratio procederet, ut versus π 27 sq. indicarent: Telemachum ex urbe (non ab itinere) Minervae fortasse monitu rus ad Eumaeum venisse. Nam quibus locis in libris ν ξ de itinere Telemachi memoratur 2), hos omnes narrationem turbare et diasceuastae tribuendos videri; rursus in libris ρ σ τ esse, quae pugnent cum narratione librorum ν ξ. — Hanc igitur Telemachiam diasceuasta iudice Wilamowitzio coniunxit cum antiquiore Odyssea, quae continetur libris ε usque ad ξ, addita primaria materia sequentium librorum. Hoc autem Wilamowitz, improbata Kirchhoffii sententia de fine antiquioris quem sumit *Νόστου*, unum carmen esse dicit, nec distinctionem esse

1) ξ 457, ρ 24, 191, 572, ο 328, τ 319.
2) ν 412—428, ξ 174—184, 515 sqq.

faciendam in medio libro ν. Nam quosdam locos in ν (300, 385) respicere ad priores libros ζ λ et transfigurationem excogitandam fuisse simulac narrationi de Ulixe apud Phaeaces succederet narratio de eodem inter procos versanti. Hanc autem partem (ε—ξ) Wilamowitz cum antiquissimam vocat totius Odysseae, errare videtur; nam narrationis momenta in libris τ—χ (ubi docemur quomodo Ulixes non transfiguratus adiuvante per dolum Penelope festo Apollinis die procos sagittis occiderit) ipse p. 112 antiquiora esse concedit quam narrationem librorum ceterorum de transfiguratione Ulixis, de auxilio a Minerva lato, de certamine sagittario ea auctore instituto. Sed id carmen (ε—ξ) quamquam antiquissimum, non tamen simplex esse dicit Wilamowitz; in qua re diligentius exponenda reliquum eius opus versatur.

VI. Itaque de priore parte eius carminis observat Circes quidem partes in historia fabulari antiquiores esse quam Calypsus, quae in ε tantum inducatur; quam solum has ad partes agendas — nempe Ulixis occultandi causa — a poeta excogitatam esse ipsum declaret nomen. Attamen in nostra Odyssea narrationem de Calypso antiquiorem esse quam Circeiam narrationem: illam enim huic exemplo fuisse. Hoc versibus quibusdam iteratis probari dicit Wilamowitz, e quibus omissis ceteris ut parum validis (κ 542—45 ex ε 228—31, μ 166, 400, 426 ex ε 391 desumptis) referemus μ 313 *ὦρσεν ἔπι ζαὴν ἄνεμον* ex ε 368 *ὡς δ'ἄνεμος ζαὴς* (ex hac enim imitatione pravam illam formam *ζαῆν* natam esse censet) cum qui secuntur versus μ 314 sq. (*σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψεν Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ'οὐρανόθεν νύξ*, quod ineptum post μ 312 *ἦμος δὲ τρίχα νυκτὸς ἔην* cett.) ex ε 293 sq. petiti sint. Multos praeterea versus ex libro ε hi libri κ et μ petiverunt. Quibus rebus confirmari videtur Wilamowitzio etiam locum de iure iurando a Circe efflagitato (κ 342—144) imitari ε 177—179 (ius iurandum a Calypso exactum), cum in ε narrationis perfecta agnoscatur ars, in κ haec breviter tractata sint ibique vs. 342 *τεῆς ἐπιβήμεναι εὐνῆς* langueat post κ 340 *σῆς ἐπιβήμεναι εὐνῆς*. Itaque

antiquiorem materiam, fabulam de Circe, apparet reformatam esse a poeta ad exemplum narrationis de Calypso; quae non ab origine Ulixeae fabulae pars fuit, ut testatur locus τ 273 cett., ubi in suis erroribus memorandis omittit Ulixes mentionem Calypsus. Iam inde a narratione de Circe omnia in κ μ cohaerent: quo fit ut Wilamowitz Kirchhoffii de loco μ 389 cett. observationem secutus, hos libros ad recentiorem *Νόστον* pertinere dicat, olim non ab Ulixe ipso sed a poeta de Ulixe tertia persona narratum. In quo *Νόστῳ* cum Ulixes e Charybdi servatus auxilio Minervae in Scheriam pervenire debuerit, necesse est eius narrationis in libro ε vestigium superesse: quale re vera in eo reperire sibi videtur Wilamowitz quod coniuncto Leucotheae et Minervae auxilio oratio quodammodo turbata sit, ut appareat ex ε 358 (*ἀλλὰ μάλ' οὔπω πείσομ'* cett.) Cur enim, inquit, non sequitur Ulixes Leucotheae consilium de vestibus abiciendis — quae iam versu ε 321 gravare eum dicuntur — sed expectat dum rate discussa nulla re nisi tigno ratis sustineatur? Deinde cum ε 445 a Leucothea certior fiat fore ut ad Phaeaces perveniat, tamen ζ 119 nescit terram nactus ubi sit. Postremo ipsum auxilium Leucotheae non memoratur in ζ (170) neque in η (275). Itaque hunc librum ε (excepto initio a diasceuasta addito) ab origine carmen peculiare („Einzellied") fuisse dicit Wilamowitz, quia per se totum absolutum sit, nec praeter communem notitiam Ulixeae fabulae ullum aliunde momentum requirat.

Sequens caput agit de *Νεκυίᾳ*, quam ab eo, qui carmen ε—ξ composuerit, in narrationem de Circe illatam esse dicit Wilamowitz; nam cum μ 266 cett. *νέκυια* respiciatur, tamen transitus in fine libri κ et initio libri λ suturas dicendas esse cum Kirchhoffio. At is talia potius Odysseae diasceuastae attribuit, non singularum partium compositoribus. — Ceterum *Νέκυια* pluribus ex narrationibus confecta est iudice Wilamowitzio: narratio de Elpenore originem habet ex aetiologico ut dicunt mytho; vaticinii Tiresiae initium respicit ad Cyclo-

piam; media pars quae est de bobus solis vitandis et de caede procorum, ut non congruens cum sequenti inter Ulixem et Anticliam colloquio, recentioris est originis, quod etiam ex versibus ipsis apparet (cf. λ 114 sq. cum ν 534 sq.; in priore loco appositio ἄνδρας ὑπερφιάλους post πήματα arguit imitationem factam alterius loci, ubi post verba εὗρον δ' ἐνὶ πήματα οἴκῳ non continuatur oratio). Pars vero postrema quae agit de Neptuno placando ad nostram Odysseam non magis pertinet quam quod sequitur colloquium Ulixis et Anticliae, in quo de Telemacho ut adulto verba fiunt. Itaque haec ad vetustiorem formam Ulixeae fabulae pertinere dicit Wilamowitz, secundum quam Ulixes a Troia per continentem Thraciam in Thesprotiam, inde autem Ithacam venerit. Huius narrationis et in Nostis et in Telegonia vestigia manserunt et constat nomen Ulixis in antiquis cultibus Epiri celebratum fuisse 1) (Wil. pp. 173 cett.); in libro τ autem ipse Ulixes de itinere suo per Thesprotiam narrat. Haec in λ ab ipso Ulixe narrantur, nec umquam a poeta tertia persona narrata esse ulla ex mutatione apparet. Itaque Wilamowitzio cum Cyclopia coniungenda esse videntur in unam narrationem: sic tamen ut in ea multum temporis interfuisse putandum sit inter Cyclopis excaecationem et descensum Ulixis ad inferos. — Secuntur catalogus heroinarum et colloquia cum Graecis ducibus ab eo, qui ε–ξ composuit, coniuncta per ineptam confabulationem Ulixis, Echenei, Aretes, Alcinoi; nam olim haec non cohaerebant. Catalogus autem heroinarum magis Hesiodum olet quam Homerum. Ob memoratas in eo Antiopam Epicastam, Alcmenam, Megaram, Ariadnam, de quibus in Cypriorum carmine Menelao Nestorem narravisse scimus, cum etiam nostro loco in λ prae caeteris Tyro, origo Nestoreae gentis, praedicetur, Wilamowitz opinatus est carmen Cyprium huic parti exemplo fuisse, ut item Maera et Clymene ex Nostis petitae sint.

1) Schol. Lycophr. 800, 799, 809, Steph. Byz. s. v. *Τραμπύα* Schol. *H.* et Eusth. ad λ 122.

Observavit contra Thrämer, Pergamos pp 129—139, in Cypriis Antiopam Lycurgi filiam dictam fuisse 1), in Odyssea Asopi (λ 260); Castorem mortalem, Pollucem immortalem, illum igitur solum Tyndarei filium, hunc Iovis in Cypriis ferri, in Odyssea ambos Tyndarei filios dici (λ 299). Deesse porro in Cypriis, quae in Odyssea occurrant, Tyro, Chloridem, Ledam, Iphimediam, Phaedram, Procrin. Itaque reiecta Wilamowitzii opinione ipse Catalogum Aeolorum ex Boeotia additamentum esse perhibet, quod in eo maxime celebrentur Aeoli nepotes (Salmoneus, Tyro, Cretheus, Pelias, Neleus, Aeson, Pheres, Amythaon, Chloris, Pero, Leda, Dioscuri, Iphicles, Eriphyle) et Thebanae (Alcmena, Megara, Epicaste); quam sententiam iam protulit Lauer, Quaestt. Hom. 1843. Peculiaris est opinio Seeckii animadvertentis (pp. 326 cett.) et in Telemachia et in *Νεκυίᾳ* Nestoris gentem ita celebrari ut ex Odyssea per genera V series eius nepotum effici possit. Ab hoc cum originem duxerint gentes Atticae Paeonidarum, Alcmaeonidarum, Pisistratidarum, Leogoridarum 2), censuit Seeck in eorum laudem haec composita esse. Quod tamen de necyia non facile quis credat, cum et alii multi in ea celebrentur et episodium de Pero (λ 287—97), quocum cohaeret ο 225—55, nihil pertineat ad laudes Atticarum gentium. Mihi igitur maxime Thraemeri sententia placet; ceterum in his partibus ad epica quaedam carmina respici maxime apparet ex λ 297 *Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή*, quae sententia initio horum carminum (ut in Iliadis primo libro et Θ 82) suum locum habet.

De tertia parte quae continet colloquia cum Agamemnone, Achille, Aiace supra (pp. 62, 64) ostendimus narrationem non congruere cum prima parte et nonnullos versus inde repetitos esse videri. Hac in parte cum nonnulli loci attingant quaedam, quae prolixius narrabantur in parva quae dicitur Iliade (λ 521 *γυναίων εἵνεκα δώρων* λ 547 *παῖδες δὲ Τρώων*

1) Welcker Ep. Cycl. II 508.
2) Petersen, Quaest. de gent. Atticis p. 70.

δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη), cum de morte Agamemnonis versus λ 423—25 subobscure referant (quod saepius accidere videmus, quotiens antiquioris carminis memoria subest), Wilamowitz harum partium fontem dicit fuise Iliadem parvam et epos quoddam quod Ἀτρειδῶν κάθοδον appellat Athenaeus; iniuria a Welckero non distinctum a Nostorum carmine. — De fine libri λ ab Aristarcho damnato Wilamowitz praeclare ostendit — in quo ceteri eum secuti sunt — hanc partem Orphicorum sectae deberi, quibus etiam alios quosdam in Odyssea locos attribuit pp. 169 n. 6, ut genealogiam Aretes (η 56 cett.), mentionem Marathonis (η 80).

VIII. Postremo capite agitur de regionibus indicandis, quibus errores Ulixis poetae definierint Ostenditur distinguendum esse inter consilium diasceuastae, occidentem (Scheriam i. e. Corcyram, Siciliam) illis erroribus tribuentis, et illius, qui carmen ε—ξ composuerit, maris Euxini litora (Aeaeam, Artaciam) locum fabulae statuentis; cum antiquior fama de Ulixe per continentem Thraciam in Thesprotiam, inde Ithacam profecto fuerit; cuius famae vestigia in aliis carminibus reperiantur. Sed omissis his, quae non multum valent ad iudicium de compositionem Odysseae ferendum, perlustremus breviter expositionem totius sententiae quam Wilamowitz pp. 227 cett. fecit. Odysseam dicit, exceptis nonnullis interpolationibus, a diasceuasta tamquam unum carmen compilatum esse ex tribus carminibus, additis suturis quales sunt liber α, finis libri δ, initium librorum ε et ο, liber ν cett. Horum carminum recentissimum (III) qui composuit cognovit reliqua, si Wilamowitzium audimus; nihil nisi caedem procorum ille cecinisse ei videtur: inde libros φ usque ad ω in Odysseam exceptos esse dicit. Sequitur secundum temporis ordinem Telemachia (II), quae olim perpetua narratione continuata ei videtur esse nec in duas partes τῷ Νόστῳ divisa; ad eam referendos esse Odysseae libros β usque ad δ et ο usque ad τ, ita tamen ut maior pars horum librorum (ο—τ) iam antiquissimi carminis membra fuerint. Antiquissimum autem illud

(III), dicit carmen quoddam, ex quo in Odyssea recepti sint libri ε—ξ et maior pars eorum quae sequuntur usque ad ψ. Hoc carmen ut antiquissimum ita non unum nec simplex, sed ipsum ex IV carminibus natum esse censet; quorum primum (I^1) egerit de Ulixe apud Aeolum, Laestrygones, Circem, Sirenas, Scyllam Charybdimque versanti, de bobus Solis et de rebus Phaeacensibus; quem recentiorem *Νόστον* Kirchhoff appellavit. Secundum (I^2) carmen epicum singulare esse de Calypso, de Ulixe naufrago, de Leucothea. Tertium (I^3) de Ulixe suos casus narranti, quae perpessus sit apud Cyclopem et in consulendo Tiresia. Postremum (I^4) esse carmen continens *ἀναγνωρισμόν* Ulixis et Penelopes et caedem procorum quae iam evanuit. Haec ultima (I^3 et I^4), antiquissima totius Odysseae, olim quomodocumque cohaesisse Wilamowitzio videntur: nunc iam nexus qui fuit periisse. Ut illud carmen I, ita carmen II quoque ex antiquioribus carminibus contractum esse probabile ei videtur.

Haec est sententia Wilamowitzii, in qua quod de carmine III dixit iniuria dictum esse animadvertimus, cum quibusdam momentis narratio librorum ψ—ω continuet narrationem libri τ. Sed in universum non placet nobis eius opinio, primum quod iusto saepius artificium variorum carminum contrahendorum adhibitum esse vult; nam distinguit inter diasceuastam totius Odysseae et illum, qui carmina ε—ξ (I) contraxerit, cum uterque tamen eundem agendi modum secutus esse in compositione putandus sit; suturae enim utriusque eandem indolem habent. Deinde mirum videri potest si iam carmina perpetua exstarent, quale est I^3, eodem tamen tempore epica carmina singularia („Einzellieder") ut I^2 in memoria hominum fuisse. Postremo idem contra Wilamowitzii sententiam valet, quod contra Kirchhoffium attulit Steinthal, non veri simile esse diasceuastam materiam adeo dispersam, variarum aetatum carminibus longioribus brevioribus comprehensam, adhibere potuisse. Quodsi Wilamowitz quoque felicior fuit in dirimendis partibus quam in constituenda antiqua Odysseae forma, tamen ingeniosis

suis observationibus, excelsa doctrina, praeclaro expositionis artificio post Kirchhoffium unus omnium maxime valuisse ad hanc quaestionem solvendam merito iudicandus est. Postremo loco nobis tractandus est

Otto Seeck, Quellen der Odyssee 1887 Qui postquam statuit illos locos qui narrationi quam nunc habemus Odysseae repugnent, indicare antiquiorem nexum iam deperditum, comparatis (ita ut monstravimus pp. 96 sq.) libris τ et χ, censuit ultimae Odysseae partis narrationem niti duobus carminibus heroicis („Epen") quae nonnullos versus communes habuerint (τ 249 = ψ 231, τ 250 = ψ 206, τ 260 = ψ 19) et uno momento ita conspiraverint ut in utroque per cicatricem pedis Ulixes agnosceretur; sed in altero Seeck putat aptius illum ἀναγνωρισμόν inventum fuisse, quo Penelopes auxilio in caede procorum uteretur Ulixes — inde autem priorem partem libri τ sumptam esse; — in altero occisis demum procis ἀναγνωρισμόν evenisse ad stabiliendam veritatem de persona Ulixis; quare ibi non rebus ipsis oblatus, sed ex antiquiore illa fictione asservatus esse Seeckio videtur. Pergit igitur Seeck investigare quid ad prius, quid ad alterum carmen referendum sit ex ultima parte Odysseae. In antiquiore carmine — ut suspicatur — Ulixes agnitus et adiutus a Penelope, dolo composito, procos sagittis confixit, ut est initio librorum τ et χ; quare id carmen Seeck vocat „die Odyssee des Bogenkampfes" nos littera *A* indicabimus. Caedes autem procorum secundum Seeckium in *A* peracta est ab Ulixe praesidio Telemachi et duorum pastorum uso, die festo Apollinis, qui patrius Ulixeae familiae deus aestimatus sit (τ 86, ν 276, φ 338, 267, 364, χ 7) non, ut in nostra Odyssea, Minerva. In recentiore carmine — quod ille „die Odyssee des Speerkampfes" nominat, a nobis littera *B* notatur — inscia Penelope caedem procorum secundum praeparationem in π factam dicit per Ulixem et Telemachum in procos subito impetu hastis asservatis irruentes; quare in altera parte libri χ de armis absportatis sermonem fieri (χ 139), quae res nec in priore parte eiusdem libri nec in φ appareat.

Quod autem Seeck in libro χ notavit versus 23—25 tanquam ex *B* insertos, in eo sequendus non videtur: nempe quod ibi narratur procos circumspexisse hastas et scuta de pariete capienda, his armis iis opus erat, etiamsi nullum dolum Ulixis suspicarentur, ut continuo ab Ulixe poenas temeritatis sumerent eminus et ipsi contra sagittas eius muniti essent; cui rei gladii non sufficiebant: quodsi igitur nihil de armis absportatis antea relatum est, tamen hic locus aptissimus iudicandus est. Qui ipse quidem fortasse causa fuit, cur postea novum illud momentum de armis absportatis excogitaretur. Apparet in *A* viros gladios suos domi etiam et inter cenam secum habere solitos esse; contra in *B* arma deponunt domi, cum alioqui praetextus armorum ablatorum a Telemacho procis proferendus (π 291 cett. *μή πως οἰνωθέντες .... Ἀλλήλους τρώσητε καταισχύνητέ τε δαῖτα*) ineptus esset. Hac quoque in re *A* magis antiquitatem sapere quam *B*, ex eo quod observavit Thucydides (I : 6 : 1) cuipiam potest videri. Ad *A* pertinere vidimus priorem partem librorum τ et χ et librum φ fere totum; inde profectus Seeck ceteras partes indagavit. Dux procorum cum sit Antinous, qui primus cadit in χ, Seeckio iudice ad *A* etiam pertinet narratio de Ulixe ab Antinoo icto, ad quam respicit φ 99 *ὃν τότ' ἀτίμα* cett. Qui versus probare ei videtur iniuriam illatam esse eodem die, quo caedes facta sit; quod ipsa quoque narratio adhuc indicat. Nam ϱ 497 exclamat Eurynome: *οὐκ ἄν τις τούτων γε ἐὐθρονον ἠὼ' ἵκοιτο* quo versu procis perniciem imprecatur eodem die futuram. Saepe autem usu venit apud Homerum ut in alicuius personae voce significatio lateat facti futuri, cuius significationis conscius non sit qui vocem profert; ut σ 115 cett. ν 116 cett. φ 402 cett. Quod in carmine *A* iuxta Eurycleam (quae agit contrarias Melanthus ancillae partes) altera etiam ancilla prodit id ea mente factum est, ut esset quae Ulixem reducem esse ignorans, ominosam eiusmodi vocem inscia proferre posset; quae deinde rebus ipsis confirmari debuit. Quare huic omini convenienter caedem Antinoi et procorum eodem die quo

iniuriam Ulixi ab illo illatam putabimus factam esse; et re vera quo loco nunc illius iniuriae narratio posita est, ϱ 336—491, pugnant quaedam cum cetera narratione; nam Penelope Ulixem ab Antinoo ictum oculis suis conspicit, quod et eius exclamatione 494 *αἴθ' οὕτως αὐτόν σε βάλοι κλυτότοξος Ἀπόλλων!* et versibus sequentibus apparet; id autem pugnat cum reliqua narratione libri ϱ. Cum versibus ϱ 365 cett. appareat, Ulixem tum primum mendicantem inter procos inductum esse, diasceuastae, si occasionem quaereret adiungendis aliis ex carminibus aliis iniuriarum expositionibus, quas item mendicanti Ulixi illatas esse memoraret, haec de Antinoo narratio seiungenda fuit ab antiquissimi carminis exitu, quo procorum proponebatur caedes.

Illam autem de Antinoo narrationem contra Wilamowitzium antiquissimam esse contendit Seeck, cum etiam in illa nihil de transfiguratione Ulixis appareat; nam ϱ 366 *ὡς εἰ πτωχός πάλαι εἴη* minime arguere re vera Ulixem mutasse formam et contrarium indicare ϱ 484 cett. *οὐλόμεν', εἰ δή που τις ἐπουράνιος θεός ἐστιν* cett ; idem locus probare Seeckio videtur, in *A* semel tantum Ulixem nec nisi ab Antinoo ictum esse.

Itaque secundum eum narrationes similes in *o* et *v* ex imitatione ortae sunt; et revera narratio in *σ* cohaeret cum episodio de Iro, in quo Antinous insolitas omnino partes agit cum Ulixi faveat, et transfiguratum esse Ulixem clare apparet (*σ* 69 sq.) Illud episodium per narrationem de convitio ab ancilla Melantho Ulixi facto — in qua Irus memoratur — cum narratione de Eurymacho cohaeret; in illa Melantho notatur ut Eurymachi paelex (*σ* 325). Hanc narrationem primo quidem obtutu videtur respicere locus *τ* 65 cett. *ἦ δ''Ὀδυσῆ' ἐνένιπε Μελανθὼ δεύτερον αὖτις;* sed acrius consideranti apparet non ita rem se habere. Nam post versus *τ* 91 sq. (verba sunt Penelopes)

πάντως θαρσαλέη, κύον ἀδεές, οὔ τι με λήθεις
ἔρδουσα μέγα ἔργον ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις·

quae secuntur a diasceuasta immutata sint necesse est, aut enim omnino non aut falso explicant quid illud μέγα ἔργον dicat esse Penelope; quae in antiquo carmine illis verbis impudicitiam ancillae notasse videtur. Cur haec mutaverit diasceuasta, ea sola causa reperiri potest, quod olim h. l. narratio pugnaret cum libro σ, i. e. quod h. l. non Eurymachi, sed Antinoi paelex diceretur Melantho. Itaque hic locus nullo modo cum narratione libri σ coniungi potest et illud δεύτερον αὖτις ad narrationem iam deperditam spectat (Seeck p. 34). Restat ex libro σ narratio de Penelope ad procos descendenti, quam repugnare ceterae narrationi ostendit Wilamowitz. Quae antiquiore forma ad Α pertinere potest; nam si continuo antecesserit olim caedem procorum, non mirum est Ulixem intellegere consilium uxoris (σ 281) cum colloquium nocturnum libri τ praegressum sit, neque ipsius Penelopes agendi ratio mira videtur. Animadvertendum etiam, initio huius narrationis (σ 163) Penelopem loqui cum eadem Eurynome, quam etiam in loco ad Α pertinenti libri ρ deprehendimus. Sunt tamen in hac narratione quaedam, quae ad Α pertinere non possint: auxilium Minervae (σ 190 cett.), verba quae Penelope facit cum Telemacho. Mutata igitur forma apparet hanc narrationem nostrae Odysseae partem factam esse.

Hucusque hanc carminis Α narrationem Seeck constituit: Ulixes noctu cum Penelope collocutus per cicatricem ab ea agnoscitur, adiuvante Euryclea: dolo qui versatur circa certamen sagittarium inter eos compositum (τ), postridie Ulixes inter procos versatur, ab Antinoo crure bovino percutitur, qua re percepta Penelope (ρ) descendit ad procos, a quibus munera elicit spe instantis novi matrimonii (σ); ad eligendum alterum maritum proponit certamen, in quo Ulixes arcu potitus exuta simulatione procos interficit Apollinis usus tutela (ψ χ).

Ut satis probabilia haec aestimanda sunt, ita quae deinde de praecedenti narratione carminis Α protulit infirmioribus argumentis nituntur (pg. 42—76). Locum ρ 567—606 ad Α pertinere dicit, quem plerique pro sutura habuerunt, hisce

permotus rationibus. Quod dicit Eumaeus ϱ 515 *τρεῖς γὰρ δή μιν νύκτας ἔχον τρία δ'ἤματ' ἔρυξα* id, cum non conspiret ratio temporum hic indicata cum ipsa narratione, Seeck negat convenire suturae, qua scilicet a significatione antiqui carminis non aberraretur in notandis temporibus. At in ipsa narratione librorum ξ—π totidem dies noctesque sunt quae quidem proponuntur; addendam esse unam noctem qua Telemachus Pheris apud Dioclem ver atur (ο 188), id facile fugere potuit diasceuastam, cui ipsi quoque ea pars libri ο debetur. Deinde discrepantiam notat Seeck inter ϱ 569 *ἐνὶ μεγάροισι* et ϱ 506 *ἐν θαλάμῳ*, quo testimonio usus Penelopem secundum carmen *A* in virorum conclavi sedentem facit, Ulixem autem, apud aram nympharum (ϱ 205 cett.) ab Eumaeo relictum, nondum intrasse domum suam. At Penelopem non inter viros sedere arguit ϱ 492: aspicit quidem quae inter eos geruntur, non tamen ipsa versatur inter eos. Tum ne descensus quidem eius (in libro σ) — quem tamen Seeck ad *A* refert — locum habere posset, si inter procos versari solita esset ex antiquo more, ut vult Seeck. Et promiscue interdum usurpari nomina *μέγαρον* et *θάλαμος* ostendunt et multi alii loci et σ 185 λ 374 ψ 41 σ 315. Itaque discrepantia quam notat Seeck nulla est. Haec omnia non valent contra id, quod maxime suturae speciem praebet: Eumaeum versibus ϱ 522—525 Penelopae de Ulixe non ea referre, quae ab ipso in ξ audiit, sed quae Ulixes Penelopae in τ dicturus sit. Quodsi tale quid praecessisset, non haec eadem ex hospite quaesivisset regina in colloquio nocturno. Deinde versus ϱ 534—38 petiti sunt ex β 55—59, cum in ϱ minus bene post 538 *οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε* excipiat versus 539 *εἰ δ'Ὀδυσεύς ἔλθοι* cett.; quod contra Seecki sententiam valere apparet; nam poetam antiquissimi carminis *A* a Telemachia versus petivisse non est credibile.

Quod superest in libro ϱ, narratio de Melanthio pastore, ad *A* pertinet, quia cohaeret cum narratione de Antinoo (ϱ 370); item — de quo immerito dubitat Seeck — discessus ex tugurio

Eumaei (ϱ 182 cett.); nam tempus matutinum indicatum (ϱ 190 sq.) convenit cum congressus Melanthii tempore, qui pecudes agit ad cenam procorum (ϱ 214) et in eo, quod hiemale tempus clare indicatur (ϱ 190 sq.) conspirat narratio cum aliis locis in carmine *A*. — Cum alii locum ϱ 31—166 suturam esse dixerunt, Seeck hanc longiorem esse putat et extendi usque ad versum 182 et omne initium libri ϱ eodem refert; quia in his quaedam pugnent cum partibus carminis *A* (cf. ϱ 170 cum ϱ 213; idem limen ϱ 30 vocatur lapideum ϱ 339 fraxineum) et inducatur Medon (ϱ 172) qui absit ab antiquissima narratione; sed maxime ob multa verba in hac parte (ϱ 1—182) obvia, quae aliena sint a carmine *A*; qua de re postea acturi sumus. Narrationem Eumaei in libro ο ad *A* refert Seeck, oblocutus Wilamowitzio: qua ex narratione etiam antiquissimum momentum Ulixeae fabulae indagavit, Ulixem ipsius solis in mytho partibus fungentem servo suo se in servitium dedisse: cuius momenti in multis ad solem pertinentibus fabulis occurrentis memoriam tantum non omnem in nostra Odyssea exstinctam esse. Item librum ξ ad *A* referendum esse dicit, quod ad ipsam materiam attineat: nam formam ad narrationem carminis *B* aptatam esse. Hinc iam ulterius indicari posse partes ad *A* pertinentes negat; verum ne ultima quidem comperta esse iam diximus; prorsus vero incerta, quae deinde adhibitis singulis mentionibus de reliqua narratione carminis *A* dicit, quam omnino non receperit nostra Odyssea. Itaque in eo carmine narratum affirmat fuisse Ithacam venisse Ulixem Dodona (τ 296 ξ 327), ubi Iovis admonitus esset oraculo ut clam rediret in patriam; cuius de erroribus non ita ut in *Νόστῳ* expositum ibi fuisse, hoc contendit testimonio quod τ 269 cett discrepant a narratione prioris Odysseae partis et τ 204 Eurybates nominatur tanquam fidissimus Ulixis comes, quem noster *Νόστος* non novit. Insidias Telemacho structas etiam *A* habuisse (ϱ 251, 595 χ 51), qui tamen in eo carmine non gerat magni momenti partes. De caede procorum, in morte Agelai ad fastigium quoddam perducta,

non absurda quidem fabulatur Seeck, sed quae utpote nullo testimonio confirmata hic persequi supersedemus 1). Sed prae ceteris haec bene ostendit Seeck, in altera parte Odysseae duorum carminum narrationem coniunctam nos habere; plus autem antiquioris ibi carminis superesse quam putavit Wilamowitz et semel tantum (non bis, ut ille censuit) a diasceuasta mutationes factas esse ut duorum illorum carminum narrationem coniungeret; postremo horum qui composuit recentius cognitum habuisse et imitatum esse antiquius carmen.

Carminis recentioris (B) auctor Ulixis et Penelopes *ἀναγνωρισμόν* post caedem procorum posuit et pro certamine sagittario pugnam hastis gestam finxit. His duobus momentis ceterae posterioris Odysseae partis narrationes inter se conspirant: est tamen unum, quo inter se illas pugnare animadvertimus. Nam cum in libris *ν π* Minervae opera Ulixes senis mendici induat figuram, non amplius ea formae mutatio apparet in libro *ψ*. Cum autem non magis credere possimus, poetam in carmine B componendo suae ipsius narrationis oblivisci potuisse quam illud mutatae formae momentum in *ν π* additum esse a diasceuasta, relinquitur iam ut dicamus narrationes illas posterioris Odysseae partis referendas esse ad duas eiusdem carminis (B) conformationes; quarum altera quam Seeck vocat „die Odyssee der Verwandlung", nos B^a, illud momentum habuerit, cum altera („die Odyssee der Telemachie," nos B^b) eo caruerit.

Itaque Seeckio iudice ad B^a referenda: posterior pars libri *ν*, totus fere liber *π*, episodium de Iro, iniuria a Melantho et ab Eurymacho illata (*σ*); item narratio de Argo cane in libro *ρ*, cum huius carminis poetam canum indolem respicere amanter solitum esse ex pluribus aliarum partium locis appareat. Deinde prior pars libri *ξ* (1—190), in qua nonnulla discrepent a

---

1) Ceterum in Ovidiana de pugna Persei et Phinei narratione (Metam. V 170 sqq.) talis revera occurrit *περιπέτεια*, qualem h. l. sibi finxit Seeck.

posteriore parte (cf. ξ 85 cum ξ 293 cett. iudicium de praedonibus marinis; ξ 171 cum ξ 392 de iure iurando); quamquam haec nimis infirma nobis videntur. Nexum inter has partes restituere conatur Seeck, usus quibusdam praedictionibus ibi obviis quae ipsa narratione confirmatae fuerint necesse sit; ut versus π 282 cett. adhibet ad statuendum de caedis procorum narratione. Nonnullas ex his removisse suspicatur diasceuastam ut alteram narrationem adiungeret, quemadmodum in libro ξ versus 174—184 addiderit ad adiungendam Telemachiae (Bb) narrationem. Sed de cetera quam restituit narratione carminis B^a ut de iis quae ante caedem procorum in eo facta sint, idem valet quod diximus de carminis *A* narratione ab eodem suppleta: scilicet cum in nostram Odysseam omnino receptae non sint hae partes, iudicari non posse utrum sic an aliter narratio progressa fuerit; quamquam nonnulla recte observata sunt a Seeckio, quae cum sua conformatione narrationis congruunt: ut quod σ 313 cett. ancillae removentur ex virorum conclavi, id indicare videtur caedem procorum non diu post habuisse locum. Quae supersunt ex posteriore Odysseae parte exceptis paucissimis — ut putat Seeck — diasceuastae suturis, haec pertinere dicit ad B^b, Telemachiam, de qua post examinatum librum ν protulit opinionem quam sequi nullo modo possumus. Dicit p. 122 de libro ν ita: „nur die Einzelheiten sind schlecht, der gesammte Aufbau der Handlung dagegen von grosser Meisterschaft", p. 123: „Also die Conception des ganzen gehört einem hochbegabten Dichter an, die Verse einem elenden Pfuscher." Haec minime vera sunt; narrationes quidem de Ctesippo et de visione Theoclymeni non magis quam somnium Penelopae initio libri diasceuastae tribui queunt: sed quae superest maior pars libri neque eiusdem est artis et solito compositionis genere — quod efficitur versibus aliunde petitis, sententiis male coniunctis quae alibi separatim feruntur — diasceuastae operam arguit, qua (ut eodem consilio similibus suturis quales sunt α, δ finis, ε et ο init. alibi usus est) aliquatenus restitueret nexum iam deficientem inter τ et φ.

Quod autem hic nexus non satis aptus factus est, cum certamen sagittarium eo non praeparetur, id non eo valet ut diasceuastae hanc operam tribuere dubitemus, cuius haec ipsa natura est ut plerumque non assequatur quod studet efficere. Perperam igitur Seeck non distinxit inter partes libri *v* et de eo tamquam uno et simplici tale iudicium protulit (p. 124): librum illum partem esse Telemachiae, quam alius invenerit, alius scripto mandaverit; qui quotiens primarium consilium labente memoria assequi non potuerit, suo Marte suturas suppleverit; eandem igitur Telemachiam imaginem praebere ac totam nostram Odysseam. Mira illa sententia, nitens perverso de libro *v* iudicio, deinde fundamento est omnibus, quae Seeck de Telemachia (B^b) dixit; quare sua de hoc carmine iudicia nobis quidem probare minime potuit. Ut non modo episodium de Mentore in libro *χ* sed etiam, a sano Kirchhoffii iudicio discedens, librum *α* totum ab origine Telemachiae partem fuisse affirmat, non minus quam *β*, *γ*, *δ*. At qui librum *β* fecerit, eiusdem librum *α* (qui quasi quoddam excerptum illius est) esse non posse ostendit Kirchhoff; non igitur Telemachiae poeta hunc fecit; illum autem librum suppletum ab alio esse quem, ceterum bona praeditum memoria, initio scilicet scribendi memoria defecerit, id non facile quisquam sibi persuadebit, cum praesertim plurimis locis idem illi incommodum occurrisse eodemque semper remedio damnum esse resartum putandum esset.

Telemachiam maxime operi insertam esse ut ceterorum heroum a Troia redeuntium casus adiungerentur, concedit Seeck; horum narrationem non uno ex fonte esse petitam inde probat quod nonnullis locis bis idem narratur; qua de re iam Friedländer egit in Philol. IV p. 580 et Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd. suppl. III p. 460. Quales sunt *δ* 244 cett., *δ* 280 cett., *γ* 160 sq. Utrum in talibus iteratis recipiendis poetae potius an diasceuastae operam agnoscemus, cum praesertim aliis locis (ut *μ* 424 cett. *π* 329 cett.) hunc idem commisisse videamus? Diasceuastae, ut equidem arbitror. Huius igitur opera latius patet quam putat Seeck; qui cum totam Tele-

machiam Germanico vocabulo nimis in his studiis frequenti „Flickwerk" vocat, errare videtur non aliter atque Sittl, qui idem fere censuit.

Sed enim videamus, quo modo in priore parte Odysseae narrationem carminum B^a et B^b distinxerit Seeck. Primi libri $\alpha\ \beta\ \gamma\ \delta$, ab eo referuntur ad Telemachiam; in Phaeacide duas narrationes coniunctas esse probare studet, monens idem agi Nausicaae auxilio ac Minervae partibus (cf. η 18 cum ζ 114, 300, 325 cett. η 75 cett. = ζ 313 cett.); hortique Alcinoi descriptionem in η itemque responsum quod η 241 cett. Ulixes det Aretae, ex duobus partibus constare, quae olim coniunctae fuisse non possint, quomodo etiam duabus ex narrationibus postea coniunctis factum sit ut in libro ϑ bis lacrimas fudisse fingeretur Ulixes. Item orationem Nausicaae ζ 255—312 compositam esse duabus eiusdem orationis conformationibus (255—289 et 289—312) contractis non sine vitio; quale quid etiam factum esse in loco ν 200—16. Duas autem illas narrationes rerum Phaeacensium vel in minutis ita sibi similes fuisse dicit Seeck, ut difficile sit distinguere quid ad hanc, quid ad illam narrationem referendum sit; sed cum in libro ν (quem ad B^a pertinere constat propter transfigurationem Ulixis ibi narratam) memoratum reperiamus Minervam in Scheria Ulixi praesto non fuisse addita (ita ut in fine libri ζ) causa, patet eas partes Phaeacidis, quae auxilium Minervae habent, ad Telemachiam referendas esse, ut ζ 259—89 η 18—81; alteras autem horum locorum enarrationes ad B^a. Sed in carminum B^a et B^b partibus ulterius distinguendis non effugit Seeck inanem discrepantiarum quaerendarum libidinem; velut quod dicit pugnare inter sese ζ 50 cett. et ζ 36, 66, cum non ambobus parentibus (ut est ζ 50) sed patri tantum somnium narret Nausicaa; at non attendit versu 76 $\mu\eta\tau\eta\rho\ \delta'\grave{\epsilon}\nu\ \kappa\acute{\iota}\sigma\tau\eta$ cett. apparere, matrem quoque adhibitam fuisse colloquio. Non iuvat omnes discrepantias a Seeckio notatas persequi; quibus sibi persuasit hisce ex partibus compositum esse librum ζ:

ζ 1—40 B^a.

ζ 41—52 B^b.

ζ 53—250 B^a (in his tamen esse nonnullos versus ad B^b pertinentes).

ζ 255—288 B^b.

ζ 289 — η 17 B^a (in his item nonnullos versus ad B^b pertinere).

Mirum certe opus fecisse putandus est diasceuasta, cum brevia fragmenta tamquam tesserulas „endo pavimento atque emblemate vermiculato", singulis interdum versibus (aut dimidiis etiam), suo marte additis, in unum carmen connexuerit! Nec praeter illam observationem de duplici recensione orationis Nausicaae ullo probabili argumento Seeck adductus est ad ita distinguendum librum ζ, nec maioris sunt momenti ea, quibus permotus similiter distraxit librum η; e quibus unum exemplum addere libet. Dicit Seeck versu η 146 *Ἀρήτη θυγατερ Ῥηξήνορος ἀντιθέοιο* incipere novum fragmentum carminis B^a; nam narrationem hiare eo quod finito Ulixis alloquio convivae Alcinoi non dicti sint ullo verbo significare admirationem, cum tamen ante hunc versum dicatur: 143 sq. *καὶ τότε δὴ ῥ' αὐτοῖο* (i. e. intrantis Ulixis) *πάλιν χὺτο θέσφατος ἀὴρ. Οἱ δ' ἄνεῳ ἐγένοντο δόμον κάτα φῶτα ἰδόντες Θαὺμαζον δ' ὁρόωντες* cett. Quod igitur nihil mirentur hospitis praesentiam, eo apparere nihil insoliti eius introitum habuisse, itaque nebulam quam ex narratione carminis B quoque Ulixi circumdederat Minerva (η 14) iam ante intratam Alcinoi domum recessisse, quo tempore scilicet Ulixes incolam quendam sibi occurrentem (nam talem sibi Seeck narrationem finxit) viam rogaret (p. 161); itaque Seeck versus η 143 sqq. et versus η 146 cett. diversorum carminum esse perhibet. At, rogamus, quid tali ex narratione carminis B^a — multo quam Telemachia perfectiore, ut dicit Seeck — totum illud de nebula Ulixi circumdata sibi voluit? Observatio ipsa, minimi aut nullius potius momenti (minime enim post versus η 143 desiderantur verba mirantia convivarum) duxit ad reconstruc-

tionem narrationis quae vituperanda foret, si non potius ficta omnino dicenda esset. Itaque quae de libris ζ η protulit Seeck, nobis quidem nequaquam probanda videntur.

Narrationem quae vocatur ἀπόλογος Ἀλκίνου non iam in prisco carmine *B* cum Phaeacide coniunctam fuisse ex eo apparere dicit Seeck, quod earum coniunctio coegerit unum diem addere iis, per quos Ulixes in Scheria versatur, quo tamen narratio nihil progrediatur; quod iam effectum sit interpositis λ 328—385 et initio libri ν. Haec sententia (frustra a Kammero impugnata) firmatur adhibitis Kirchhoffii observationibus de compositionis differentia quae est inter libros κ, μ et librum ι; firmatur etiam eo, quod finis libri θ (572 cett.) suturae speciem praebet. Olim igitur in *B* sic narratum fuisse dicit Seeck, Ulixem a Nausicaa acceptum Alcinoi domum venisse; postero die certaminibus publicis exhilaratum, vesperi profectum, tertio die dormientem Ithacam pervenisse. Hic tamen iterum verum non vidisse Seeckium nobis persuasum est; parum enim momenti habuisset in compositione carminis *B* Phaeacis illa, in qua praeter nominis professionem nihil egisset Ulixes, quem vel apud Aeolum suos casus narravisse videmus (κ 15). Scilicet Ulixes cum, quocumque venerit, rogantibus iis, qui eum exciperent, de suis erroribus, satisfacere debuerit enarratione rerum gestarum, quavis fabulae Ulixeae conformatio necessario ad id ducebatur inventum, ut semel Ulixem faceret narrantem suos casus, uno in carminis loco nactum occasionem aptam dignosque auditores. Neque ullo argumento refellit Seeck sententiam Kirchhoffii et Wilamowitzii, partem quandam τοῦ ἀπολόγου (ι. λ) iam ab initio cum Phaeacide coniunctam fuisse; nam quod dicit librum ι quoque olim tertia persona conceptum fuisse, postea in primam personam mutatum esse (pg. 171) — sed multo aptius quam libros κ, μ — id calidius de toto libro ι statuit, quod fortasse non valet nisi de initio. Testimonio enim usus est versibus ι 54 sq. στησάμενοι δ' ἐμάχοντο μάχην .... Βάλλον δ' ἀλλήλους χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν quibus

in versibus tertiae personae occurrunt, cum in praecedentibus et sequentibus primae personae sunt. Sed ut diximus, hoc tantum probat minus apte expressam esse narrationem de Ciconibus, quae multos versus, illis non exceptis (cf. Σ 553) aliunde petitos habet (ι 42 ex Δ 705 ι 51 = Β 468 ι 56 = Θ 66 Δ 84 158 = Δ 86 Π 779); nihil autem probat, Cyclopiam quoque similiter ac libros κ, μ immutatam esse.

Sed in iis, quae antecedunt librum ι, duarum narrationum coniunctarum vestigium reperire sibi visus est Seeck in eo, quod bis Ulixes carmine vatis Demodoci ad lacrimas permovetur. Itaque cum totum librum Θ ad Telemachiam refert, priorem de Ulixe lacrimanti narrationem ex B^a sumptam esse dicit, nulla alia re fisus, nisi quod maius artificium huius narrationis proprium esse censet carmini B^a, ad quod etiam narrationem de Calypso eodem usus argumento refert. Quae sententia tota pendere mihi videtur a falsa eius opinione de deficienti Telemachiae arte.

Idem adduxit Seeckium ut librum ι ad B^a, κ μ ad Telemachiam referret, ita tamen ut hic illic particulas quasdam alterius narrationis alteri innexas diceret; velut in libro κ genealogiam Circes (κ 137—139) ex B^a illatam, quia aliis ex locis appareat eius carminis poetam gaudere genealogiis. Haec sententia non longe distat a ratione Kammeri, qua interpolationum numero tales loci habentur et rhapsodis tribuuntur; quod simplicius certe est quam aliud carmen quaerere tamquam fontem unde loci tam parvi praesertim momenti fluxerint. Prorsus idem dicendum contra Seeckii de libro λ sententiam. Quem cum secutus Wilamowitzium dividendum esse dicit in duas partes, priorem ad B^b, alteram ad B^a refert; constituitque ordinem rerum in utraque parte narratarum. Itaque in B^a dicit Ulixem interrogasse Tiresiam de reditu suo, in B^b de placanda Neptuni ira. Qui potest, cum tamen ira Neptuni commota sit excaecato filio eius Polyphemo, quae res narratur in libro ι ad B^a — ut vult Seeck — pertinenti? Cur non omisit diasceuasta totius Odysseae ex altero fonte illud de placando Neptuno, cum id additum ultra fines sui carminis spec-

taret? Itaque cur cum Seeckio ex altero carmine (B^b) quaedam in partes alteri carmini (B^a) debitas illata esse dicamus et inversa ratione in huius partes (B^a) ex illo (B^b)? Nec talem piasceuastae rationem intellegere possumus nec de altero fonte — de Telemachia — nobis persuaderi potest, id carmen similiter compositum esse atque totam nostram Odysseam, ita ut quibusdam locis se ipsum poeta compilaverit; quemadmodum Kirchhoff docuit finem libri $\varkappa$ ex libro λ excerptum, itemque libri α quandam partem ex β contractam esse.

Ceterum carmina B^a et B^b narrationes de Calypso et de Circe communiter ex prisco carmine *B* sumpsisse dicit Seeck, quae olim singulis epicis carminibus continerentur 1); quod de priore affirmavit etiam Wilamowitz. Haec autem pars introducto auxilio Minervae, quae non occurrit in Νόστῳ, coniuncta est cum Phaeacide; quam cur Seeck iam adfuisse in *B* neget, non liquet: hanc enim ipsi carminis B^a poetae tribuendam esse dixit quidem sed non probavit (p. 201).

Hisce omnibus expositis Seeck affirmat in nostra Odyssea apparere VII poetarum laborem: nam inesse partes ex A („die Odyssee des Bogenkampfes" I); unde materia petita assumptis carminibus de Calypso (II) et de Circe (III) effectum sit carmen B („die Odyssee des Speerkampfes" IIII); quod ipsum fons fuerit carmini B^a („die Odyssee der Verwandlung" V) nec non — assumptis carminibus de reditu heroum („Nostengedichte" VI) — carmini B^b („die Odyssee der Telemachie" VII). Haec in universum non displicent; quamquam horum carminum partes in nostra Odyssea recte a Seeckio — maxime quod ad priorem Odysseae partem attinet — indicatas esse negamus. Qui suam distinctionem ut tueatur ad aliud omnino demonstrationis genus confugit; cum verborum copia in suis ex A, B^a B^b fragmentis occurrentium examinata, inde diversitatem eorum fragmentorum ostendere studeat. Itaque IV capitibus enumerationem dat

1) cf. ε 206, λ 181 cett., μ 140, λ 223 sq.

I Verborum non nisi in Telemachiae fragmentis obviorum (circa CC).
II „ „ „ „ carminis B^a „ „ („ LXX).
III „ „ „ „ „ A „ „ („ XXV).
IV „ in A deficientium, in B^b B^a obviorum (circa CCLX).

Ut ab extremo capite incipiamus, enumerationem Seeckii recte se habere instituta investigatone intelleximus; quae maxime confirmat liberum et solutum olim fuisse carmen *A*, cum tot careat vocabulis, quae frequentissime occurrunt in reliqua Odyssea, ut: *ἀνάρσιος, ἄρουρα, ἀρχή, βοάω, βουλεύω, γέρας, γυῖα, δάπεδον, δηθά, δηιόω, ἔγγυθεν, ἕδος, ἑκάς, ἐντύνω, ἐρείδω, ἐσθής, ἔσθω, εὖτε, ἦμος, τῆμος, θαμά, θέμις, ἰδέ, καθεύδω, κίων, κοιμάω, κτάομαι, λεύσσω, μάρναμαι, μέγεθος, μέλαθρον, μήδομαι, μόρος, νεφέλη, νικάω, ὄμματα, οὖδας, ὀφείλω, πόνος, πύματος, ῥίμφα ῥίπτω, σέβας, στορέννυμι, τείχεα, τίνω, τίπτε, τρόμος, ὑψόσε, φθινύθω, χαίρω, χωρίς* alia. Rationem quidem habendam esse parvi carminis *A* fragmentorum ambitus ipsiusque fortunae casuum inde apparet quod desiderantur verba talia qualia *ἔγγυθεν, ἔκτοθεν, δηθά, ἑκάς, Ὄλυμπος, Φοῖβος* quae tamen nulli umquam Graeco incognita esse potuerint. At restant verba qualia sunt *ἐσθής, ἔσθω* alia, quae si tam nota fuissent auctori carminis *A* quam ei qui reliquam Odysseam composuit, iuxta formas *εἶμα, ἔδω* cett. adhibita fuissent necesse est. — Idem sequitur ex enumeratione sub capite III. Nam quamquam pauca verba sunt (XXV), tamen memoria dignum est quod inter ea sunt *ἀλήμων* et *προΐκτης* pro „*πτῶχος*" et *ἴσκε* pro „*εἶπε*" (Buttmann Lexil. II² p. 76) quae alibi non adhibentur. Sed de enumerationum fide sub capitibus I et II dubitandum est. A priore enumeratione — verborum in Telemachia tantum obviorum CC — removenda sunt quaecumque pertinent ad rem navalem, ad convivia et epulas remque divinam et domesticam, cum talia non nisi ex Telemachiae narratione in nostram Odysseam recepta sint. Deinde maior Telemachiae quam reliquorum fontium fragmentorum ambitus maxime animadvertendus est; verba non pauca sub I posita

(velut; ἔντος, ἔξω, λέχος, λέκτρον, ναί, τείνω) tamen Telemachiae propria fuisse et a reliquis carminibus afuisse dicenda non sunt. Alia quidem sub I tantum sunt, sed inde derivata vel eiusdem stirpis societate coniuncta etiam in B^a occurrunt; ut εἰλάτινος (B^b) coll. cum ἐλάτη (ε 239 B^a), ἔνδοθεν (B^b) coll. cum ἐνδόθι (ι 577 B^a), λωβεύω (B^b) cum λωβητήρ (B^a), ὀιστεύω (B^b) cum ὀιστός (*A*), νέρθεν (B^b) cum ἔνερθεν ι 385 B^a), ὁρμίζω (B^b) cum εὐορμος (ι 136 B^a) ὑπέρτερος (B^b) cum πανυπέρτατος (ι 25 B^a), φάρμακον (B^b) cum φαρμάσσω (ι 393 B^a) cett. Tum multa eorum, quae Seeck Telemachiae propria dicit, semel aut bis tantum occurrunt, quod illius ratione obscuratur. Velut in verbo ἀκουή addit locos: β 308 δ 701 ε 19 ξ 179 ϱ 43 — at hi omnes pro uno sunt: non enim nisi in hemistichio φίλου μετὰ πατρὸς ἀκουήν aut μετ' ἀγαυοῦ πατρὸς ἀκουην illa vox occurrit. Postremo quod urget Seeck frequentiam in B^b verborum quae epitheta ornantia dicuntur, animadvertendum est singula aut paucis admodum locis occurrere (ut ἐυδμητος, εὐρύπορος, θεοείκελος, καλλιπλόκαμος, κρυερός, λαόσσοος, λυσιμελής, μέροψ, ναυλοχος, νῶροψ, πλησίστιος, multa cum πολυ — composita) aut frequentissime adhibita esse in Telemachia quae proprio nomine sic dicitur i. e. in libris α—δ, ο, υ, ω, (ut διοτρεφής, δουρικλειτὸς Μενέλαος bis, Πείραιος δουρικλυτὸς bis, αἰθούσης ἐριδούπου ο 191 η 345 γ 399 ν 176, 189 ἐριγδούπου πόσις Ἥρης θ 465 ο 146, 180 ὀβριμοπάτρη α 101 γ 135 ω 540 ὄτρηρος α, δ); abesse vero aut non tam frequenter usurpari in libris ε—ξ, quorum tamen multas partes ad Telemachiam referat Seeck. Contra quem valet quod in libro ι (ad B^a secundum Seeckium pertinenti) occurrunt magno numero epitheta ut ἐυδείελος, ἐυκνημίς, ἐυπλόκαμος, ἐυσσέλμος, ἐυκτίμενος, ἐυεργής, ἐυστρεφής, ἐυτρεφής, ἀμφιέλισσαι, γλαφυρός, μιλτοπάρηος, κυανοπρῳρός, εἰλίποδες, ἕλικες, μηκάδες, ὀρεσκῴος, πίων, ὀρεσίτροφος, καλλίτριχος, λάσιος, εἰρόποκος, ταναύπους, θεσπέσιος, μελιηδής, ἐριστάφυλος, ἄφθιτος, ἄγλαος, δῖος, ῥοδοδάκτυλος, ἠριγένεια, μενοεικής,

ἄσπετος, ἀγήνωρ, τετυγμένος, μεγαλήτωρ, ἀμβρόσιος, κελαινεφής, ἐρίηρες, ἰχθυόεις, δενδρήεις, ἁλμυρός, ἡλίβατος, κήλεος, ζείδωρος, ἠνεμόεις cett. — His animadversis minime nobis persuasit Seeck affirmans p. 250: dass die Sprache starrer und formelhafter ist [in fragmentis quae ad B^b pertinere dicit] als in den anderen Odysseen." Enumeratio vero quae est sub capite II (verborum in B^a tantum obviorum) propter exiguum numerum (XXV) et minorem frequentiam usus nullum momentum Seeckii sententiae addit. Qui cum animadvertit significatione verborum antiquiorem plerumque locum obtinere carmen B^a prae carmine B^b (ut in vocibus τέχνη, φύω, κακοῦν, δαίω usurpatis), tamen ostendit p. 184 n. 1 verba tam recentia qualia sint δόξα, λόγος, μορφή, ἀτιμίη, πενίη, ἡσυχίη, ὑπόδημα, νόμος, κυνηγέτης in carmine B^a usurpari tantum, quod etiam nominibus rerum ad domesticum cultum pertinentium, arborum, plantarum, recentioris originis vestigia praebeat. Hanc contradictionem solito suo more solvit Seeck affirmans Telemachiae poetam, qua fuerit neglegentia, verborum quorundam significationes mutasse, cum nova tamen vocabula non addiderit illi copiae, quam ex suis fontibus sumpsit. Qua explicatione tamen non multum effecisse videtur ad contradictionem tollendam. Apparet igitur enumerationibus illis minime probari veritatem distinctionum quas in Odyssea nostra fecit Seeck, excepto eo, quod recte iudicasse videtur de carmine *Λ* i. e. de fine Odysseae a reliquis separando.

His concluditur prior pars libri eius; in altera (pp. 264—421) quae minus ad nostrum propositum pertinet, dicit de fabula Ulixea in universum, quam ad mythum quem vocant solarem refert; deinde de origine carminis *Λ* quod, iure ut videtur, antiquissimum ex Odyssea esse et in Aetolia originem suam habere dicit. Sed quae deinde de ceteris quos vocat fontibus, imprimis de Telemachia sua profert, non nisi minutis vanisque observationibus nituntur; ut Telemachiam sub Pisistrato secundum tyranno litteris mandatam esse dicit, permotus versibus quibusdam in

eo carmine qui partes Pisistrati antiquioris, Telemachi comitis, referunt; — non attendit autem versus γ 400 sq. *πὰρ δ' ἄρ' ἐυμμελίην Πεισίστρατον ὄρχαμον ἀνδρῶν Ὅς οἱ ἔτ' ἠίθεος παίδων ἔεν ἐν μεγάροισι* (cf. γ 482) quorum posterior satis ostendit cur Pisistrato potissimum poeta id munus dederit; — aliorumque versuum utitur testimonio qui de fratribus Pisistrato, Thrasymede, Polycaste agunt; quam rem longius non persequemur. (pp. 342 cett.). Recte tamen observasse videtur omnes locos tam in Odyssea quam in Iliade, qui Atticae mentionem habent, additamentum quoque in libro λ Orphicis debitum, aetatem Pisistrati et Pisistratidarum indicare. Quo firmatur eorum sententia, qui carmina Homerica Pisistratidarum aetate litteris mandata esse censent, cessante paullatim traditione per rhapsodos. Quodsi quis animadvertit quantum intersit inter iudicia Platonis (in Ione) et Xenophontis (in Memorabilibus et Convivio) de rhapsodis et Pindari, qui versibus notissimis illis (Nem. 2 : 1 sq.) *Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι Ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ Ἄρχονται* .... honorificam certe eorum mentionem faciat, quibuscum victorem Olympiae comparet; siquis id attendit, non multo ante aetatem Pindari Homerica carmina scripto mandari coepta esse fortasse mecum consentiat.

Sed ut quae tractavimus breviter recapitulemus, vidimus in recentiorum de Odyssea studiis Kirchhoffii acumen maxime praeluxisse, qui primus distinxerit inter poetam et diasceuastam et partes quasdam indicaverit illi tribuendas; huius laborem longius provectum esse cum ab aliis tum praesertim a Wilamowitzio additis multis observationibus de altera parte Odysseae et accuratius compositionis partibus distinctis; postremo Seeckium in quibusdam quidem emendasse illius sententiam sed cum declinaret ab iis, quae Kirchhoff protulerat, inventis, eum suis ipsius studiis multum nocuisse nec sententiam suam probare potuisse. Sed hi omnes cum magis minusve felices fuerint in partibus diversis Odysseae indicandis, non tamen simili mihi fortuna usi videntur, quotiens varie his partibus coniunctis formam quam Odyssea ab origine habuerit, restituere studuerunt.

Eorum igitur cum nullius nobis universa placeat sententia, partim tamen cum iis facimus. Itaque Kirchhoff nobis persuasit narrationis quam Ulixes persequitur apud Alcinoum duas esse partes antiquitus non cohaerentes sed a diasceuasta coniunctas; ab eodem Telemachiam conexam esse cum narratione de Ulixis reditu; in altera autem Odysseae parte duas diversas de Ulixis figura mutata et de caede procorum expositiones permixtas reperiri.

Deinde Wilamowitz nobis probavit totum librum α expositionem esse sequentis Odysseae a diasceuasta additam; Telemachiam in libro ο ab eodem decurtatam esse ut eam cum antiquiore de Ulixis Reditu coniungeret narratione: huius nonnullas partes — velut libros ε, ι, λ — carmina epica per se absoluta („Epische Einzellieder") esse. Librum denique ω non a diasceuasta compositum sed ab eo ex antiquiore narratione reformatum esse.

Addidit Seeck accuratiorem ultimorum Odysseae librorum distinctionem: quem sequimur coniungentem narrationem prioris libri τ partis et sequentium librorum φ χ, cuius hoc fuerit argumentum: Ulixem ab uxore agnitum per Eurycliam, dolo certaminis composito inter eos, festo Apollinis die sagittis interfecisse procos. Item ei assentimur opinanti hac cum narratione conexam esse aliam de caede procorum expositionem, secundum quam Ulixes cum filio hastis adorti procos occiderint; quo facto per cicatricem Ulixes Eurycliae, per memoriam praeteriti temporis Penelopae agnoscendum se praebuerit.

Postremo cum illo consentimus huius rursus narrationis partes ostendere duas diversas iunctas formas, quarum altera transfigurationem Ulixis habuerit, quod momentum ab altera afuerit. Praeterea vero quod Seeck in nostra Odyssea partes putat denotari posse ipsas, quae singulis illis narrationibus debeantur, in eo sententiam eius probare non possumus.

Mihi autem persuasum est fabulam Ulixeam, quod ad argumentum attinet omni populo notam, ab origine singulis epicis carminibus cantatam esse argumenti expositione magis minusve

differentibus, sed eodem ex mytho originem habentibus. Quae quidem communis origo coniuncta cum peculiari indole mythi effecisse mihi videtur, ut, qui unum aliquod horum carminum audiret, memor semper esset ceterae fabulae utque si quae in quibusdam narrationis momentis conspirarent, ea varie coniuncta canerentur. Hinc autem certas quasdam paulatim praecipuarum partium fabulae conformationes ortas esse; ex quibus aetate Pisistratidarum quendam poeticae peritum virum nostram Odysseam contraxisse. Sed id, quod mihi ex Steinthalii sententia persuasum est, ostendere alio fortasse tempore conaturus, iam huic dissertationi finem impono.

THESES.

I.

Carmina epici qui dicitur cycli saeculo V a. Chr. n. vulgo, ut Ilias et Odyssea, Homero adscripta sunt.

II.

Pisistrati filiorumque eius iussu carmina Homerica primo scripto mandata sunt.

III.

Quae in exemplari ed. princ. Homeri Florentinae, quod hodie in bibliotheca Marciana asservatur, ad B 203 adscripta sunt verba (Dindorff, praef. schol. Iliad. Ip. XXIV):

Ν ὁ ἡ ἔλεγεν ὅτι ταῦτα καλῶς εἰ καὶ ὡς ἀπὸ Πεισιστράτου: —

ea ita plene scribenda sunt:

Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἔλεγεν κ.τ.ἑ.

IV.

δ 758: *ὣς φάτο· τῆς δ'εὖνησε γόον, σχέθε δ'ὅσσε γόοιο.*

pro *γόον* legendum: *νόον.*

V.

ζ 185 *μάλιστα δέ τ'ἔκλυον αὐτοί.*

propono: *ἔλαον.*

VI.

ι 138 sq. *ἀλλ' ἐπικέλσαντας μεῖναι χρόνον, εἰς ὅκε ναυτέων.*

θυμὸς ἐποτρύνῃ κ.τ.λ.

Praestat lectio quorundam codicum: *εἰς ὄκεν αὖτε.*

VII.

Ibidem vss. 520 sq. *αὐτὸς δ'αἴ κ'ἐθέλῃσ', ἰήσεται, οὐδέ τις ἄλλος*
οὔτε θεῶν μακάρων οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων.
Priorem versum ita mutandum puto:
αὐτὸς δ'αἴ κ'ἐθέλῃς, ἰήσεαι κ.τ.λ.

VIII.

χ 174 sqq. *σφῶι δ'ἀποστρέψαντε πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν*
ἐς θάλαμον βαλέειν, σανίδας δ'ἐκδῆσαι ὄπισθεν,
σειρὴν δὲ πλεκτὴν ἐξ αὐτοῦ πειρήναντε κ.τ.λ.
In versu secundo mutandum *σανίδας* in *σανίδος*.

IX.

Schol. *H* ad σ 115 sq. (ed. Dindorff): *ἐνταῦθα δὲ ἀπάνθρωπον τελέως τὸ ἡμιονήπια τελεῖν.*
Corrige: *τὸ ἡμιθνῆτι ἀπειλεῖν.*

X.

Theognis vss. 201 sqq. *αὐτίκα μέν τι φέρειν κέρδος δοκεῖ, ἐς δὲ τελευτὴν*
αὖθις ἔγεντο κακόν, θεῶν δ'ὑπερέσχε νόος·
ἀλλά τάδ' ἀνθρώπων ἀπατᾷ νόον· κ.τ.λ.
Pro priore *νόος* propono: *τέλος*.

XI.

Ibid. 220 *Κύρνε, μέσην δ'ἔρχευ τὴν ὁδόν, ὥσπερ ἐγώ.*
Pro *τὴν* legendum *ἦχ'*.

XII.

Xenoph. Anabas. I : 3 : 5 sq. *εἰ μέν δὴ δίκαια ποιήσω οὐκ οἶδα, αἱρήσομαι δ'οὖν ὑμᾶς καὶ [σὺν ὑμῖν] ὅ, τι ἂν δέῃ πείσομαι. καὶ οὔποτ' ἐρεῖ οὐδεὶς ὡς ἐγώ . . . προδοὺς τοὺς Ἕλληνας τὴν τῶν βαρβάρων φιλίαν εἱλόμην, ἀλλ' ἐπεὶ ὑμεῖς ἐμοὶ οὐκ ἐθέλετε πείθεσθαι οὐδὲ ἕπεσθαι, ἐγὼ σὺν ὑμῖν ἕψομαι καὶ ὅ, τι ἂν δέῃ πείσομαι.*
Deleantur verba uncinis inclusa.

XIII.

Ibid. I : 6 : 1 sq. *οὗτοι προϊόντες ἔκαον καὶ χίλον καὶ εἴτι ἄλλο χρήσιμον ἦν. Ὀρόντας δὲ . . . . . Κύρῳ εἶπεν . . . . ὅτι τοὺς προκατακάοντας . . . . κωλύσειε τοῦ κάειν ἐπιόντας κ.τ.λ.*

Pro *προϊόντες* legendum *προσιόντες*.

XIV.

Ibid. I : 9 : 29 *παρὰ μὲν γὰρ Κύρου . . . οὐδεὶς ἀπῄει πρὸς βασιλέα, πλὴν Ὀρόντας ἐπεχείρησεν. καὶ οὗτος δὴ ὃν ᾤετο πιστὸν οἱ εἶναι ταχὺ αὐτὸν εὗρε Κύρῳ φίλτερον ἢ ἑαυτῷ.*

Mutandum *ταχὺ* in *τάχ' ἄν*.

XV.

Ibid. IV : 2 : 12. *καὶ τοῦτόν τε παρελήλυθεσαν οἱ Ἕλληνες καὶ ἕτερον (γὰρ) ὁρῶσιν ἔμπροσθεν λόφον κατεχόμενον, ἐπὶ τοῦτον αὖθις ἐδόκει πορεύεσθαι.*

Inserenda particula uncinis inclusa.

XVI.

Xenoph. Hellen. II : 3 : 48 *τὸ μέντοι σὺν τοῖς δυναμένοις καὶ μεθ' ἵππων καὶ μετ' ἀσπίδων ὠφελεῖν διὰ τούτων τὴν πολιτείαν πρόσθεν τ'ἄριστον ἡγούμην εἶναι καὶ νῦν οὐ μεταβάλλομαι.*

Pro *διὰ τούτων* legendum *διατάττειν*, nisi potius totus locus pro spurio habendus est.

XVII.

Plato, Crito p. 51 D. *ὁμως προαγορεύομεν [τῷ ἐξουσίαν πεποιηκέναι] Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ . . . ἐξεῖναι λαβόντα τὰ αὑτοῦ ἀπιέναι ὅποι ἂν βούληται.*

Deleantur verba uncinis inclusa.

XVIII.

Apud Thucyd. I : 20 deleantur verba *τὴν Παναθηναϊκὴν πομπὴν διακοσμοῦντι.*

XIX.

Verba Pind. Pyth. I : 40 *ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέναι εὔανδρον τε χώραν.*

virgula posita post *νόῳ* vertimus: Velis haec animo et reddas regionem viris florentem.

XX.

Ovid. Metam. VIII 188. Dixit, et ignotas animum *dimittit* in artes. Legendum: demittit.

XXI.

Ibid vss. 513 sq. Aut dedit, aut visus gemitus est ipse dedisse
Stipes, ut *invitis* correptus ab ignibus arsit.

Corrigendum puto: invisis.

XXII.

Ibid. XI vss. 525 ut miles... Cum saepe adsiluit *defensae* moenibus urbis

vox „defensae" corrupta ex „defessae."

XXIII.

Livius XXXI : 17 : 7 ubi caesam aciem suorum pro diruto muro *pugnantem* vidissent

Pro „pugnantem" malim „pugnantium."

XXIV.

Tacit. Agric. cap. 6 (l. 16 ed. Halm) Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae *propior*.

Ultimo vocabulo substituendum: „pronior".

XXV.

Ibid. C. 11, l. 11, eorum sacra deprehendas superstitionum (pari) persuasione.

Inserendum vocabulum uncinis inclusum.

XXVI.

Idem fiat ibid. c. 33, l. 12: finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus: inventa (cuncta) Britannia et subacta.

XXVII.

Petronius, Carmen de B. C. (ed. Buecheler) vs. 13. Ecce aliae clades et *laesae* vulnera pacis

Pro „laesae" propono: „lentae" et transpono versum post vs. 18.

XXVIII.

Ibid. vs. 34 sq. Lucrinis Eruta litoribus *vendunt* conchylia cenas. Malin „trudunt" pro „vendunt".

XXIX.

Ibid. vss. 109 sq. est mihi cordi Quippe cremare viros et sanguine pascere luxum.

Haec ita legenda puto: Quippe domare viros et sanguine pascere luctum.

XXX.

Ibid. 203 sq. magnam nixus in hastam Horrida securis *frangebat* gressibus arva. Emendandum: „tangebat."

XXXI.

Ibid. 219 sq. est magis arma Qui temptare velit fatisque iubentibus uti. Lege: iuvantibus.

XXXII.

In het 23e boek van het Nalôpakhyânam wensch ik, met Böthlingk weglatend de çloka's 2^{cd}, 3^{ab} en 5^{ab} (ed Bopp. 1819), de çloka's 4, 5^{cd}, 6^{ab} aldus te verbinden:

Na câsya pratibandhêna dêyô 'gnir api, Kêçini,
Yâcatê na jalan dêyam — sarvathâ tvaramânayâ
Nimittan tat tvayâ drshtam Vâhukê dâivamânusham,
Yac cânyad api paçyêthâs, tac câkhyeyan tvayâ mama.

XXXIII.

Terecht beweert Mommsen (R. G. III⁴ p. 183 n.) dat de Catilina van Sallustius bedoeld is als eene apologie voor Caesar.

XXXIV.

Ten onrechte plaatst dezelfde (V p. 517) het gezantschap van Philo aan Keizer Gaius onmiddellijk na de troebelen te Alexandrië onder den landvoogd Avillius Flaccus.

XXXV.

Den sleutel tot Aristoteles' leer der *κάθαρσις* vinden wij bij Proclus in Remp. 362, waar hij Aristoteles tegen Plato laat aanvoeren, dat deze ten onrechte de dramatische kunsten verbant, *εἴπερ διὰ τούτων δυνατὸν ἐμμέτρως ἀποπιμπλάναι τὰ πάθη.*